



1.

HISTORIA
TIBERII,

E D E N T E

IOHAN. CUNRADO
DIETERICHIO,

PROFESSORE GIESSENO:



GIESSÆ HASSORVM,
Typis & Sumptibus FRIDERICI KARGERI.

HISTORIA
TIBERII

EDENTE

IOHANNES CUNYRADO
DIETTERICHIO
PROFESSORE GIESSEN



GIESS & HASSORF M.
Typo & Buchdruckerei FRIEDRICH KÄRGER



VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO,
ET PRÆSTRENTISSIMO

D N. SAMUELI
SEBISCH,

SENATVS VRATISLAV. PRÆSIDI & NAMBSLAVIENSIS
FEVDI BVRGELIS DIRECTORI GRAVISSI-
MO &c. DOMINO & PATRONO
MEO COLENDISSIMO.



IV hæsi, Vir Magnifice, ac Nobilissime, au-
derēne vadū tētare, ac Tiberiū, qui ex mea
prodiit Typographia, glorioso tuo No-
mini, inscribere, quod ne facerē, verecūdia
suadere videbatur. At cum succurreret,
nusquam meliori damno frontem deponi,
quam in compellendis. Viris in sublimi dignitate constitu-
tis, verecundiam illam aliā verecundiā excussi, spe fretus u-
berrima, nullum apud eum, cujus fides, cujus opera, cujus
amor nemini clientum unquam defuit, cujusque Humanita-
tas, rara hodie virtus, ubiq; alta laudum buccina cœlo infer-
tur, importunitati fore locum. Nec deest prægnans causa
hujus meæ audaciæ. Indulgentissimus scilicet favor & sin-
gularis benevolentia in Parentem meum, totidem ac tanta
beneficia, quibus nullo non tempore Parentem meum ma-
stare

Etare voluit T. Nobiliss^m Magnif. jubent, ut me gratum, non
in angulo & ad aurem, sed palam profitear; cum respondere,
quantumque debeam, referre non possim. Serena itaque
frōte excipe, Vir Magnif. ac Nobiliss^m. libellū hūc, cōpage qui-
dem exiguum, argumento autem magnum non indebitæ so-
lutionis antecessum, sed ulterioris benevolentiaē incita-
mentum. Tantum enim abest, ut munusculo hocce no-
men meum expedire statuam, ut potius novum facere ani-
mus sit. Ita vale & sub umbra alarum divinarum felici-
citer age

e voto

*Observantissimi & obsequentissimi
Tui servi*

Dabantur Giessæ Cattorum d. XIII.

Calendar. Aprilis

ANNI MESSIANI.

FRIDERICI KARGERI
Typographi Giessensis.



TIBERIUS.

- I. Nascitur Tiberius A. V. dccxii ex patritiâ gente Claudiorum, Patre Tiberio Claudio Nerone, Matre Livia. Educatur in Augusti Imperatoris domo, Liviæ Matris artibus instruitur, & ab Augusto adoptatur.

Leonhard
Johann
Reuter,
Eq. Suec.



Aternum Maternumque genus Tiberii ex Patritiorum familiâ antiquâ Claudiâ, docente Suetonio capite primo & secundo. Claudia gens originis claritudinem debet Appio Claudio, qui hinc gentis Princeps vocatur Suetonio capite primo, de quo item matris patritii autore Poeta Virgilius 7. Aeneidos v. 705.

*Ecce, Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar;
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus, & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.*

Patria Tiberii Roma, ubi natus in Palatio xvi. Kal Decemb. M. Aemilio Lepido, & L. Munatio Planco Consulibus. Pater Tiberius Claudius Nero, Julii Cæsaris bello Alexandrino Quæstor & Classi Præpositus; inde Pontifex & Prætor, magni animi doctissimique ingenii Vir, Velleji elogio. Mater Livia Drusilla, Livii Drusi Claudiani Filia, formæ eminentissimæ fæmina, quæ Augusto ita placuit, ut etiam gravida à Viro, adhuc vivente, peteretur novo exemplo & illau-

Suet. c. 5.
p. 164.

2. 75. 1.

A

6.6.p. illaudato. Infantiam & pueritiam laboriosam, ut loquitur Suetonius,
 164. & exercitatum habuit, Parentibus sc. in periculo pericula per fu-
 6.A.51.2. gam fugientibus, nam comes proscriptum patrem exul secutus fuit,
 2.Hist.75. teste Tacito. De eâ fortunâ Vellejus: *Exarserat in Campaniâ bel-*
 n.1. *lum, quod, professus eorum, qui perdidierant agros, patroeinium, ciebat*
Tib. Claudius Nero, Pratorius & Pontifex, Tib. Casaris Pater, ma-
gni Vir animi doctissimique ingenii. Id quoque adventu Casaris (Au-
gusti) sepultum atque discussum est. Miratus deinde rerum vicissitu-
 num. 2. 3. *tiones, quis dubios rerum humanarum casus satis mirari queat? quis*
non diversa presentibus contrariaque expectatis aut speret aut timeat?
Livia nobilissimi & fortissimi Viri Drusi Claudiani filia, genere, pro-
bitate, formâ Romanarum eminentissima, quam postea conjugem
Augusti vidimus, quam transgressi ad Deos Sacerdotem ac Filiam,
tum fugiens mox futuri sui Casaris arma, vix bimum hunc Tiberium
Cesarem, vindicem Romani Imperii, futurumque ejusdem Casaris
filium, gestans sinu, per avia itinerum, vitatis militum gladiis, uno co-
mitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, & cum
viro Nerone, pervecta in Siciliam est. Idem miratus est de fortunæ
finisterioris in meliorem statum mutatione Dio Cassius lib. 48. p.
 418, quum n. fugam Neronis & Liviae exposuisset, ait *συμβῆναι τι*
ἐν τοῖς παραδοξοτάτοις, accidisse rem in maxime mirabilibus ponen-
dam. ἢ τε γὰρ Λιβία αὐτῆ ἢ τὸν Καίσαρα τότε φυγῆναι, μετὰ ταῦτα αὐτῶ
ἐγῆματο, καὶ ὁ Τίβεριος ἔτι ὁ σὺν τοκεῦσι τότε ἐκδραῖς, τὴν αὐτοκρα-
τορα ἀρχὴν αὐτῶ διεδέξατο. Hæc n. Livia, quæ tum Casarem fugiebat,
postea ipsi nupsit; & Tiberius iste, qui cum parentibus tum fugiebat,
Principatum Casaris postea accepit. In Augusti domo educatus va-
riis delectamentis vacavit, honoribus etiam affectus, Actiaco quip-
pe triumpho currum Augusti comitatus fuit, sinisteriore funali
equo, cum Marcellus, Octaviae sororis Augustæ filius, dexteriore
 6.6.p. *veheretur, Suetonio teste. Omnibus modis studuit Livia occasio-*
 165. *nelque captavit in domo Augusti, ut viam ad imperiũ sterneret Ti-*
berio Filio, licet spem & opinionem de se præbere vix posset.
Quanta spes fuerit in Augusti tenerâ ætate, suo loco indicatum.
Quid verò indolis in Tiberio? Nulla ferè hic præludia generositatis
& virtutis; licet maximè commendetur à Vellejo, assentationis
 amore,

amore, nescio quis alacris vigor, *mira insuper & incredibilis atque inenarrabilis pietas*. Si quæ habuit dona ingenii, quod negandum non est, iis certè abusus fuit. Nihil verò à quoquam tam promptè & peramanter in laudem Tiberii scriptum quàm à Vellejo. Illi Tiberius *innutritus celestium preceptorum disciplinis, juvenis genere, formâ, celsitudine corporis, optimis studiis maximoque ingenio instrumentisissimus, qui protinus, quantus est, sperari potuerat, visusque protulerit Principem*. Illi Tiberius post Augustum *eminentissimus; Ducum maximus, famâ fortunâque celeberrimus, & verè alterum Reipublicæ lumen ac caput*. Ob Tiberii eminentiam non diu quærendum fuerat Augustus, *quem legeret sed legendum, qui emereret*. Cuperemus plura ex Vellejo proferre, sed nimia adulatio prohibet; quæ ipsa veritatem, objectâ Tiberii gratiâ, suppressit, nam sub eo domi, militiæque dignitates adeptus fuerat, & propter eum Liviæ & Sejano adulatus, non minus irrita quàm vana elogia protulit, docente Bœclero; aptumque fuerit hic Vellejo, quod Ciceroni, mores Cælaris extollenti, dicit Augustinus: *Dicebat hoc tam magnus laudator aut tam magnus adulator; sed si laudator, talem Cæsarem noverrat; si autem adulator, talè esse debere ostendebat Principem civitatis, qualè illū fallaciter prædicabat*. Nullus certè splendor & nobilitas Majorū in Tiberii moribus, in indole & naturâ luxit. Quid verò movit Augustum ad eam benevolentiam, ut adoptaret? Nimis confidens Liviæ & petit audacter, & impetravit adoptionem, partem non parvam imperii. *Expugnatus precibus Vxoris adoptionem non abnuit*, ait Suetonius. Quomodo majorem honorem & amorem poterat accipere adoptatus Tiberius, quàm ut esset hæres fortunæ atque honorum, regni consors, socius familiæ? Ast *expugnatus*, atque adeò invitus, Augustus fecit. De adoptione hâc privigni, & Agrippæ nepotis ex Julia, idem Suetonius in Augusto: *Tertium nepotem (priores erant Cajus & Lucius) Agrippam, simulque Privignum Tiberium adoptavit in foro, lege Curjata*. Idem in Tiberio c. 15. p. 173. *Cajo & Lucio intra triennium defunctis adoptatur ab Augusto simul (Tiberius) cum fratre eorum M. Agrippa, coactus prius ipse (Tiberius) Germanicum, Fratris sui filium, adoptare*. Ea lege Augustus Tiberium adoptarat, ut ille Germanicum sibi adoptaret. *Causa datur libro primo Institutionum, titulo de Adoptionibus*.

2.94.1.

2.3.

c.99.1.

c.103.2.

Orat. de Vellej.

p.25.

Epist.2.

col.22.

T.2.

c.21.p.

178.

c.65.p.

122.

T I B E R I V S.

4
 Divus Augustus non ante Tiberium adoptavit, quàm is Germanicum
 adoptasset, ut protinus adoptione facta inciperet Germanicus ei ne-
 pos esse. Adoptione facta & Agrippa abdicato (de cujus causa in
 Aug. c. 65. p. 122.) nihil ex eo tempore prætermissum est ad majestatem
 ejus augendam, ac multò magis postquam Agrippa abdicato atque se-
 posito certum erat, UNI spem successionis incumbere. Successorem
 & hæredem masculum ex se suoque latere negaverat natura,
 cumque esset sine subsidio & munimine Aulæ & Imperii Impera-
 tor, de subsidio adoptionis cogitavit, ne orbitas contemptui aut
 fraudi esset; cumque fata primò M. Marcellum, mox Cajum & Lu-
 cium, Agrippæ filios, ejusque Nepotes eripuissent, non modò
 Hæredem sibi Tiberium fecit, sed superstiti in domo Tiberii filio
 juvene, Germanicum insuper per adoptionem adsciri jussit, quo
 pluribus munimentis, dicente Tacito, insisteret. Adoptionis origo
 antiquissima est, quòd non solum Romani, sed etiam alii populi,
 filios sibi adsciscere consueverint; vel quod matrimonii onera de-
 tractarent; vel quod sterile esset conjugium; vel quod liberi more-
 rentur, vel quod mali degeneresque essent. Sic Julius Cæsar Au-
 gustum, Augustus Tiberium, Nerva Trajanum, Trajanus Hadria-
 num, Justinus Justinianum, alii alios adoptasse leguntur in ful-
 crum imperii. Jus illud adoptionis olim positum erat in hereditate
 nominis, patrimonii & sacrorum. Jus nominis fuit, ut adoptatus
 nomine & cognomine adoptantis uteretur. Sic nomen Julii reti-
 nuit Octavius, & ab adoptione illâ non amplius se Octavianum sed
 Octavianum nominat, hoc modo: C. Julius Cæsar Octavianus. Jus
 patrimonii fuit, ut adoptatus æquè ac si ex adoptatore natus legi-
 timè esset, ei vel solus, vel cum aliis succederet. Quod verò ad jus
 sacrorum attinet, Romæ unaquæque familia sacra quædam privata
 & suæ gentis propria domi apud Penates faciebat; qui verò pecu-
 niæ, idem sacrorum hæres erat. Adoptione in alienam familiam,
 inque liberorum locum, extraneos sumi docent Modestinus l. i.
 de Adopt. lib. i. P. tit. 7 & Gellius lib. 5. c. 19. p. 226, definiturque Ad-
 optio apud Theophilum νομίμην πρῶξις μιμημένη τὴν φύσιν τοῦ πατ-
 ρὸς καὶ γαμῶδιαν, actus legitimus, naturam imitans, ad solatium eo-
 rum, qui liberos non habent. Filii a fiunt adoptione, non fratres, non
 alii proximi, testibus Diocletiano & Maximiano l. nec apud. de hæ-
 red.

Suet. d.
 pag.

1. Ann.
 3. 7.

73. 2. 1.

l. l. ff. ii.
 p. 96.

T I B E R I U S.

red. in *inst. lib. 6. C. tit. 24.* Libero animo Augusti dignius fuisset aliū potius adoptasse quàm Tiberium, sed quid non faciunt machinamenta artesque Matris in evehendo Tiberio, quas notat Tacitus: *Druso pridem extincto Nero solus è privignis erat. Illuc cuncta vergeret; Filius, Collega Imperii, consors Tribunitiæ potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur, non obscuris, ut antea, Matris artibus, sed palam hortatu.* Optimus Augustus, orbis Dominus, domui non poterat consulere simultateque ejicere, aut successorem constituere Reipublicæ, de quo certus esse posset in salutem fore ejus. Faverat magis Agrippæ quàm Tiberio, inde æmulationes ortæ. Cùm destinandus esset Imperii successor, Germanicum quidem magis amabat & utiliorem censebat, sed Tiberii malum animum adeò suspectabat, ut ad extremum *veluti cogeretur, præferre, quem nollet prælatum.* Videbat ne tutum quidem fore Germanicum à Tiberii ambitione, si prælatus ille huic fuisset. Etiam sine hoc esset, Tiberius necessitate quâdam temporum negotiorumque in Tribunitiam potestatem & partem curarum semel vocatus non poterat de gradu sine periculo publico dejici. Quibus rebus factum est, ut cogeretur Augustus velle, quod nollet, Liviam suam potius quàm suum judicium secutus. Tiberio itaque destinabat adoptionem & cum eâ Imperium invitus, abstracto distractoque Cæsaris animo per Livix artes infortuniumque domûs; Drusus n. perierat, Cajus & Lucius obierant, in quibus spes magna fuerat. Agrippa ineptus videbatur rei gerendæ. In adoptione Tiberii dictum fuisse à Cæsare, *Hoc Reipublicæ causâ facio*, dictum reliquit Vellejus 2. 104. 1., sed, si dictum fuit, id spei reliquerat. Diligens scriptor Suetonius hic addendus, qui scribit: *Addacnequeo, quin existimen, circumspectissimum & prudentissimum Principem, in tanto præsertim negotio, nihil temere fecisse, sed vitis virtutibusq; Tiberii perpensis potiores duxisse virtutes, præsertim cum & Reipublicæ causâ adoptare se eum pro concione juraverit, & Epistolis aliquot, ut peritissimum rei militaris, utque unicum populi Romani præsidium prosequatur.* Antea a. prudens Historicus non dissimulârat judicium quorundam, qui Augustum iniquitatis alicujus accusaverint, quasi ille commendavit malum successorem, ut *vale successorè desiderabilior ipse quandoque fieret.* Id ipsum etiam Ta-

1. Ann. 3.
n. 5.

Boecler.
in Tacit.
p. 232.

c. 21. p.
178.

4. A. 57.

4.

cito notatum I. A. 10. 9, ne Tiberium quidem caritate aut Reipublicæ causâ successorem adscitum, sed quoniam arrogantiam seviriâque ejus introspexerit, comparatione deterrimâ sibi gloriam quasi vixisset. Suspicio ea meritò removenda à Reipublicæ Patrono Patreque Patriæ Augusto, qui in iis, quæ ad Rempublicam pertinebant, providè egisse habendus est, licet non potuerit, ut voluerit, Liviæ aut domui suæ nimium addictus. Imperium quia Liviæ artibus assecutus fuerat, eleganter dominatio accepta vel extorsa potius à Tacito donum Liviæ dicitur, qui addit: *Dubitaverat Augustus Germanicum sororis nepotem, & cunctis laudatum, rei Romane imponere; sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit.* Quo studio, quantâque curâ hic egerit Livia, & quid amplius ad nos perlatum sit de illâ adoptionis ad imperium infelicitate, probè consignavit Cl. Dn. Bosius in eleganti Dissertatione de Tiberio.

2. Non serenus vultus, non ingenua mens puero; non voluntas bonitate prædita; sed indoles subdola, ingenium insidiosum atque sævum, non ignorante Magistro, Matre & Augusto. Doctus aliâs & literis probè eruditus, in insula Rhodo non despectans Scholas Philosophorum frequentare.

Vltam & mores mira quâdam ingenii diligentiam contemplatus fuit Tacitus, quasi in uno hocce Imperatore arcana omnia, dominationis per dolum & simulacra quæsitæ, voluerit exhibere. Non minori studio Suetonius versatur in eâ historiâ, illiberales mores & naturam occultè malam expendens. Deformis ei fuerat facies ab ulceribus, vitio vel malignorum humorum, vel vitiosæ vitæ excessu. Tacitus 4, 57, 3. *Illi prægracilis & incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies, ac plerunque medicaminibus interstincta.* Suetonius 68. p. 214. *Facie honestâ, in quâ tamen crebri &*
subi-

TIBERIVS.

7

Subtilcs humores, cum pregrandibus oculis, & qui quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent. Incedebat cervice rigidâ & obstipa, adducto ferè vultu, plerumque tacitus, nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone. Quæ omnia ingrata, atque arrogantia plena & animadvertit Augustus in eo, & excusare tentavit saepe apud Senatum ac populum, professus naturæ vitia esse, non animi. Tertium testem addimus, & quidem gravem, Julianum Cæsarem in Cæsaribus p. 834. Τίβεριος & σεμνὸς τὰ πρόσωπα, καὶ βλοσυρὸς, Tiberius gravis vultu, & truculentus aspectu, subjiciens deformitatem cutis ob vitiligines & notas cutis ὑπὸ τῆς ἀκολασίας καὶ ὠμότητι, ex intemperantia & humorum cruditate, quæ vitiliginis & lepræ instar totam cutem deformârint. Quem non perterrerent hæ notæ corporis, quas ἐκκαυμένας, iniustas, dixit Julianus, immanis & cædibus dediti Tyranni stigmata futura? Maculæ illæ corporis, probrium ac dedecus corporis; nihilque detestabilius notis illis verè iniustis animo; ut dicere hic liceat cum Cicerone: *Quæ nota domestica turpitudinis non iniusta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus non hæret infamia?* Contra vitium corporis scripserat Julianus, non contra vitia animæ. Cur? Erubescere scribere. De utroque vera accusatio est, nec ipse Imperator, quamvis vellet, & dissimulare posset omnium dissimulatorum pessimus coryphæus, nunquam tamen potuit dissimulare conscientiam, & cordis nubilum frontis serenitate discutere. Morosus erat vultuque adducto severus, taciturnus raroque sermone, tristitiæ deditus, calvus, qui, cum senio rugas contraheret, ob deformitatem solebat conspectum hominū vitare. Characterem hunc proponens Suetonius inter alia etiam ait: *Nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione.* Asperitatem hanc & inhumanitatem tegere non poterat, qui alia tegere noverat, prægrandium oculorum tumore, id non permittente Melancholia repugnanti. *Tristissimum hominum* hinc vocat Plinius lib. 28. c. 2. p. 398, qui sub fronte torva incedebat, ut Persii dicamus versu,

Obstipo capite, & defigens lumine terram.

Nisi sponte & composito animo velis id egisse, ut formidabilior videretur, sicuti de Caligula retulit Suetonius: *Vultum natura horridum ac tetrum etiam ex industria efferebat, componens ad speculum in*

annens

Orat. 2.
p. 100.

Sat. 3.
v. 80.
c. 50. p.
265.

*omnem terrorem ac formidinem. Utrumque poterat aptius Tiberius, & naturâ vultus, & indole ingenii, quam promptius sequebantur actus nefarii, qui ex suis originibus hinc melius judicari possunt, quasque notas ex Dione repræsentat Dn. Boeclerus, Tiberium nobis depingentes calliditate vafum, suspicione anxium, arrogantia tristem, judicio morosum, sævitia obscurum pariter & implacabilem. De Quinctio Crispino scribit Vellejus *singularem nequitiam supercilio truci protexisse*, id de Tiberio extat verum. In oculis qui fuerat ardor videndi, ut etiam in tenebris viderit, id *mirum*, Suetonii verbo. Similiter de eo Plinius: *Ferunt Tiberio Cesari fuisse naturam, ut experges factus noctu paulisper haut alio modo, quam luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris sese obducentibus*. Idem de eo prodit Heliodorus in Optica. Causam quærunt Scaligeri, Gardanus, Rhodiginus, Plempius, Vossius, Bartholinus, quæ mittimus; id potius notantes, maturè malè egisse, *infantiam & pueritiam habuisse luxuriosam*, (sicut lectio vulgata habet) matureque in eo animadversam indolem ad malum ingeniosam à Præceptore Theodoro, qui subinde eum in objurgando vocabat *πυλὸν αἵματι περιεργαμένον, lutum sanguine maceratum*, similitudine apta, notante sævam & impuram animam in malo corpore habitantem. Quod tamen præfagium ab Alexandro Ægæo, Philosopho Peripatetico, de Nerone, cui præceptor fuerat, dictum refert Suidas. Præfagium utique de utroque nimium verax, & sine dubio à Rhetore in similem discipulum suum mutuavit Philosophus. Probro dabatur *natura seva ac lenta* in puerili etiam ætate, à Præceptore Theodoro. Impressas animo notas sævitæ & insolentiæ, quamvis sub specie probi moris vellet videri alius, præceptoris proba institutio non poterat exuere, factaque sanguinaria & crudelia, etiam in probos exercita, fecerunt fidem, quod Præceptor ominatus fuerat de contumaci & malignâ naturâ, dici ut potuerit de illo verbis Ciceronis: *Nihil ego illo impudentius, astutius, lentius novi*. Increpabat Dionysius Tyrannus filium, dicens: *Οὐκ ἔστιν ἐν σοὶ Τύραννος*. *Non inest tibi Tyrannus*, cum deprehendisset vehemens & tyranno aptum ingenium ei deesse. Ejusmodi ingenium non deerat Tiberio, cumque ingenio ejusmodi conveniebat facies aspectu deformis. Mores deformes valdeque inhumani congruebant cum facie, & facies aspectu*

in Tacit.

p. 226.

227.

2. 100. 5.

II, 37. p.

169.

Suet. c. 6.

p. 164.

c. 57. p.

204.

c. 57. p.

204.

1. ad At-

tic. 9. col.

295.

T I B E R I U S.

aspectu tetra cum mente detortâ. Non tamen verba menti, nec
mens verbis concordabat, in mente pravâ aliud illo sentiente, lo-
quente alia ore; simulante ea se velle, quæ nollet, & nolle, quæ vel-
let. Illiberale certè ingenium, quia multiplex & versutum, duplici-
tas enim animi & vafrities, servile vitium est. Id Comici docent
nos, qui servos inducunt versipelles & pseudolos. Sincerus ani-
mus, ingenuus & nobilis, & magis Principem decet. Vel aperte
odisse magis ingenium esse dicit Cicero, apertum amici pectus com-
mendans. Versutus fuerat Tiberius *inter arma & studia* prius lau-
dabiliter, noveratque dexterâ non minus tractare stylum quàm
gladium. In utroque enituerat, sed per nova studia vitiorum in
utroque defierat. Ingenio acri præditus, sed quod in malitiis, in do-
lis, in fraudibus, in malis consiliis & malis artibus obsolevit. Do-
ctus erat, sed non regno; & nimium doctus, regno inutilis. In lingua
Græcâ, in dâ & Latinâ, maximè in Eloquentiæ studio diligenter in-
formabatur à Theodoro, in quo tantos fecit progressus, ut *novem*
natus annos defunctum Patrem pro rostris laudaret, teste Suetonio,
cum quo Xiphilinus in Augusto p. 220. Ἀπὸ τῶν ἐμβόλων τῶν Ἰελείων
ὁ Τιβέριος ἐσημίσιον δὴ τινα κατὰ δόγμα λόγον ἐπ' αὐτῷ ἐπελέξατο. Ti-
berius Augustum pro rostris, quæ Iulia nominantur, apud populum
decreto Senatus laudavit. Magna hæc est industriæ laus, in eloquen-
tiâ versari Principem, quod in Augusto comprobavimus, & in Rhe-
toricis exerceri utiliter. In Rhetoricis Præceptor ei Theodorus Ga-
dareus fuerat, teste Suetonio, quæ inter commendatissimos Rheto-
res recenset Quintilianus scribens: *Præcipuè in se converterunt stu-
dia Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniae Caesaris Au-
gusti fuit; & Theodorus Gadaræus, qui se dicimavit Rhodium,
quem studiosè audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius
Caesar.* Eundem Romæ in pueritiâ habuisse Præceptorem Sueto-
nius nobis insinuat. De eâ studiorum sedulitate Suetonius: *Artes
liberales utriusque generis studiosissimè coluit. In oratione Latinâ se-
cutus est Corvinum Messalam, quem senem adolescens observaverat.
Fecit & Græca Poemata imitatus Euphorionem, & Rhianum, &
Parthenium, quibus Poetis admodum delectatus scripta eorum &
imagines publicis Bibliothecis inter veteres & præcipuos auctores dedi-
cavit, & ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his edi-
derunt.*

de Anni-
cit. col.
577.

c. 6. p. 165.

c. 57. p.
204.
3. 1. p. 124.

c. 70. p.
215.

d.p.

c.11.p.

170.

c.56.p.

204.

in Sueton.

p.263.

2.99.1.

c.10.p.

168.

derunt. Fabularem historiam, sic nominat Historicus, maximè
 amavit, usque ad ineptias & derisum. Circa scholas & auditoria Pro-
 fessorum assiduus fuit. Inter epulas quaestiones Philosophis & Gram-
 maticis proposuit. Scribere & loqui Græcè noverat, Poetarum in-
 terdum dictis, quæ ad rem essent, usus in sermone, sicut aliquando
 in confortio Agrippinæ nurus Græco versu usum memorant Sueton-
 nius c. 53 p. 201, Tacitus 4. An. 52, 5, ideò eâ torqueri, quia non re-
 gnaret, verùm & Poetæ illius nomen & versus ipse hæcenus igno-
 rantur, notante Torrentio. Studiorum curam non neglexit, cum
 Rhodum iret, licet honoris & virtutum negligeret curam. Cele-
 bris erat Rhodus, quòd instituendo docendoque prudentes Philo-
 sophi & Rhetores eâ in insulâ versarentur; quumque Tiberium
 ars & doctrina liberalis delectaret, eò se contulit, cum Româ se-
 ipsum expulisset, in exilium quasi iens. Rhodus ad exulandum erat
 gratissimus locus, profugium portusque animi suspicionibus &
 scelere exulcerati. Adulatoriè Vellejus hoc Tiberianum ad Rho-
 dios iter profequitur, scribens: *Tib. Nero duobus Consulatus to-
 tidemque triumphis actis, tribunitiæ potestatis consortio aequatus Au-
 gusto, civium post unum (& hoc, quia volebat) eminentissimus, Du-
 cum maximus, fama fortunaque celeberrimus, & verè alterum Rei-
 publicæ lumen & caput, mira quadam & incredibili atque inenarra-
 bili pietate, (calliditatem puta ejus pietatem) cum C. Cæsar sumisset
 jam virilem togam, Lucius item maturus esset viris, ne fulgor suus o-
 rientium juvenum obstaret initiis, dissimulata causa consilii sui (invi-
 diæ puta) comitatus ab Socero atque eodem Vitrico acquiescendi &
 continuatione laborum petiit.* Adulatur hic Vellejus, nolens pro-
 dere arcana Tiberii, quæ detegit Suetonius candido & ingenuo
 stylo: *Tot prosperis confluentibus, integra ætate & valetudine statuit
 repente secedere, seque è medio quàm longissimè amovere. Dubium
 uxorisne tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque
 ultra perferre posset; an ut vitato assiduitatis fastidio auctoritatem
 absentia tuoretur atque etiam auget, si quando indignisset sui Respu-
 blica. Quidam existimant, adultis jam Augusti liberis, loco & quasi
 possessione usurpati à se diu secundi gradus, sponte cessisse, exemplo M.
 Agrippæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto M. Mylenas
 abierit, ne aut obstare, aut obtrudere præsens videretur, quam causam
 & ipse*

Et ipse, sed postea reddidit. Tria hic notantur 1. infortunium domesticum. 2. arcanum dominandi. 3. solertia aulicè agendi. Assentatoriè idem Vellejus 2.99.4. Ita septem annos Rhodi moratus fuit, ut omnes, qui Proconsules Legatique in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratia ad eum convenientes, semper privato (si illa Majestas privata unquam fuit) fasces suos summiserint, fassique sint, otium ejus honoratius imperio suo. Extra adulationem Suetonius: Remansit Rhodi contra voluntatem, vix per matrem consecutus, ut ad velandum ignominiam quasi Legatus ab Augusto abesset. Enimverò tunc non privatam modo, sed etiam obnoxium & trepidum egit, mediterraneis agris abdiis, vitansque prater navigantium officia, quibus frequentabatur assidue, nemine cum imperio aut Magistratu tendente quoquam, quin diverteret Rhodum. Exul tunc per contemptum vocabatur, & dicta in eum jacta, neque integrum ei fuit Romam revisere, quamvis reditum expostularet, teste Suetonio, c. 11. p. 170, & c. 14. p. 172, intercedente verò Matre, & quidem impensissimis precibus, permittente Cajo, Augusti Nepote, cui arbitrium hujus rei ab Avo permissum fuerat, revocatus est, verum sub conditione, ne quam partem curamve Reipublicæ attingeret. In Rhodo itaque commorabatur non tanquam in secessu, sed exilio potius, visus n. fuit magis exulasse quàm secessisse, cum non liberum ei esset Romam remigrare. Tangit id Poeta apud Suetonium c. 59. p. 206.

c. 12. p.

170.

c. 23. p.

172.

Non es Eques, quare? Non sunt tibi millia centum.

Omnia si queras, & Rhodus exilium est.

Quàm gratus fuerit reditus, indicabit sparsum carmen, quo Tiberius Rhodo, tanquam ab exilii loco redux, comparatur ob insignem favitiam Antonio, Sulla & Mario, viris cæde & rapinis celebribus.

Suet. c. 59.

p. 206.

Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam,

Et Marium si vis, adspice, sed reducem,

Nec non Antoni civilia bella moventis,

Nec semel infestas adspice cæde manus,

Et dic, Roma perit; regnabit languine multo,

Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Octavo itaque postquam Rhodum secesserat anno Romam redit, deductoque in forum Druso filio statim è Carinis ac Pompejana domo Esquilias in hortos Mecenatianos transmigravit, totumque se ad quietem

Suet. c.

15. p. 170.

rem contulit, privata modo officia obiens, ac publicorum munerum ex-
pers. Tribunitiam tamen potestatem suscepit, quam antea etiam,
quàm Rhodum abiret, habuerat; eam quippe bis acceperat, pri-
mùm antequam discederet Rhodum, deinde postquam rediret.
De iterato honore Vellejus 2.103.1. *Tiberius Nero reversus Rhodo
incredibili letitia patriam repleverat. Caesar Augustus tribunitiæ
potestatis consortionem Neroni constituit. Tacitus 1. Ann. 10. 1. Au-
gustus cum Tiberio Tribunitiam potestatem à Patribus rursus po-
stularet, quanquam honora oratione, quedam de habitu cultuque &
instituti ejus jecerat, quæ velut excusando exprobaret.* Suetonius c.
16. p. 174. *Datarursus potestas tribunitia in quinquennium.* Non
se correxerat Rhodi ex crebrâ conversatione Philosophorum,
quos inter federat, circu mundi que auscultantibus doctrinâ, aut
genere, aut fortunâ nobilibus adolescentibus. Levis & insolentis
illud adhuc animi argumentum, necdum in melius translatus erat,
cum sibi exprobrari vitium seque tangi à quodam putârat, cui ni-
hil minus in mentem venerat. Zenonem quendam exquisitus ser-
mocinantem cum interrogaret, *quenam illa tam molesta Dialectos
esset, & ille respondisset, Doridem, relegavit Cinariam, existimans
exprobratum sibi veterem secessum, quòd Doricè Rhodii loqueren-
tur.* Ut a. eam exprobrationem ex levissimâ causâ, quâ se extenuari
putabat, molestè ferebat; ita amplectebatur illos, qui eum Rho-
dum usque comitati fuissent. Memoratur Lucillius Longus Tacito,
*omnium illi (Tiberio) tristium letorumque socius, unusque è Se-
natoribus Rhodii secessus comes, cui funus publicâ pecuniâ Patres
decrevêre.* Felicior etiam Sulpitius Quirinius, qui Tiberium
Rhodi agentem coluerat; inde honestatus ab eodem, teste Tacito.
Experto verò fuerat *Diogenes Grammaticus, aliû Rhodi fuisse Tiberiû
aliû Romæ, sed oportunitum, nostro judicio, in quo commende-
tur Cæsar, Grammaticus rideatur, nam cum ille arrogantius Rho-
di soleret singulis Sabbatis disputare, atque ad se venientem Tibe-
rium, ut se extra ordinem audiret, in septimum usque diem per ser-
vulum suum distulisset, eundem ad se Romam venientem ac salu-
tandi causa pro foribus adstantem admonuit, ut post septimum an-
num rediret, ingenioso responso superbiam Grammatici Rhodien-
sis retundens. Patebat Roma, sed non patebant fores Imperatoris,*
nec

Suet. c.

56. p. 204.

4. A. 15. 2.

3. Ann.

48. 3.

Sueton. c.

32. p. 187.

nec in congressum dignus habitus, nisi post septimum annum. Excepit Grammaticum, prout merebatur; domumque versùs ventos annosque placidos precabatur, ut post septimum annum rediret. Adulari nesciverat iste Grammaticus instar Poetæ Antiphili, Hexasticho Tiberium extollentis, quo ipsum & Solem, cui Rhodus erat dicata, paria beneficia Insulæ contulisse scripsit; Solem Insulam quidem produxisse, Tiberium, alterum Solem, jam penè extinctam Insulam restituisse. Epigramma Græcum extat apud Salmasium Not. in Tertullian. de Pallio p. 153. Non aliter de Tiberio, qui jam ad imperium ab Augusto destinatus fuerat, Manilius adulatur:

*Virgine sub castâ felix terrâque marique
Es Rhodos, hospitium recturi Principis orbem,
Tuque domus verè solis, cui tota sacrata es,
Quum caperes lumen magni sub Cæsare mundi.*

lib. 4.

v. 764.

Editio Romana habet, *Quum cuperent lumen*, quam probat lectionem Franciscus Junius, inque eam sic commentatur: *Respicit ad p. 106. historiam Tiberii Cæsaris, Augusto successuri, ad quem post Drusi Germanici & Agrippæ mortem omnium ora & oculi obversi sunt. Verè, inquit, domus es Solis, ô Rhode, vel eo nomine, quod communibus omnium votis sacrata es, quum Tiberius inde adventurus cupe- retur.* Hanc ei fortunam summam sive magnam spem futuræ potestatis diversis prædictionibus & portentis conciliatam spargebant, quorum talis recensio apud Suetonium: 1. Ovum Matris, & mini- c. 14. p. stræ cum manu fotum, usque dum *pullus insigniter cristatus* exclu- 172, 173. sus est; 2. Aræ apud Philippos victricium legionum, ignibus lucen- tes; 3. Tali aurei in Aponi fonte summum numerum ostendentes; 4. Aquila in culmine domus ejus Rhodi, ubi in auxilio fuit, assidens; 5. Tunica, quum pridie de reditu certior fieret, ardere visa est. Si de consortio cum Viris, quos doctrina & eruditio commendavit, quæ- ras amplius, è paucorum numero advocari potest *Masurius Sa- binus*, pauper sed bonus Jureconsultus, qui obtinuit à Tiberio, ut sibi de Jure respondere liceret, quique à suis sustentabatur auditoribus, teste Pomponio l. 2. §. 47. lib. 1. tit. 2. Digest. de origine Ju- ris; de quo Icto & Equite, cui honorum & dignitatum incremen- ta Tiberii liberalitate & autoritate accesserant, legantur Magnif. Dn. D. Tabor Armamentario p. 327; Felix Osius in Mussatum

pag. 11; Joh. Sithmannus in Speculo Imperii Rom. cap. 20. p. 467, 468; Glandorpius in Onomastico Historico col. 592. Id unum tandem, quia ad decus facit Imperatoris nostri & Principum, addimus, Tiberio fuisse *Bibliothecam* libris satis instructam, quæ aliquamdiu celebris fuit, quamque se visitasse notavit Gellius, scribens: *Quum in domus Tiberianæ Bibliotheca sederemus Ego & Apollinaris Sulpicius, & quidem alii mihi aut illi familiares, prolatus fortè liber est ita inscriptus: M. Catonis Nepotis.* Expedi etiam Reipublicæ, si Principes præter armamentaria etiam instruunt literata armaria & loculamenta vario librorum genere, quibus testantur amantissimam mentem in literas & literatos. Memoria servient, quæ Lipsius proficiendi spe scripsit *de Bibliothecis*, quod præstari scripto debuit, ut & hinc Augustorum memoria augustior fiat.

3. Principatum ab initio gerit dissimulato ingenio; Imperium ab Agrippæ, Nepotis Augusti ex filiâ Juliâ, cæde annitente Livia auspiciatur, ut tutior sit; novumque Imperatorem nimis honoribus prosequuntur Senatores.

Quatuor potissimum sunt, quæ bonum Principem maximè & ante omnia decent; *Pietas, Iustitia, Clementia, Liberalitas.* Pietatem, quam nos verè dicimus, non habemus in Cæsaribus Romanis usque ad Constantinum Magnum, quippe destituti verâ Dei cognitione; habent tamen aliquid pietati analogum, de quo alias. *Iustitia* ad omnes tam bonos quàm malos ex æquo spectat, unicuique quod suum est, & quod meretur, tribuens; probis præmia largiens; improbis pœnas irrogans, verus canon imperii rectæque pollicia. *Clementia* in omnes quoque & ipsa respicit, maximè autem erga subjectos, etiam hostes, cum humanitatis & misericordiæ exercitio. *Liberalitas* erga bene merentes spectatur, ut illos muneribus, honoribus & dignitatibus, Princeps benignè prosequatur. Nihil

hil autem turpius, quam horum spectari contraria, *Impietatem, Injustitiam, Inclementiam, Illiberalitatem*, quibus sane vitiis Regna, Respublicæ & Politicæ vastantur, rerumque confusio, odium & malevolentia, inducitur. Omnia summa habuimus commendavimusque in Augusto; ejusque fructum in Regno percepimus, cum Augustus de Regno bene merendo, Regni Proceres & subditi gratias agendo, quotidie inter se certarent. Optimatibus sub optimo Augusto optimè erat, pessimè apud pessimum Tiberium, qui cum per artes imperium sibi acquisivisset, idem sine justitia & clementia, in quibus præcipua rerum & imperii vis consistit, istud administravit, ipsaque initia eade *Agrippa* fecerat. Augustus *Agrippam* ob ingenium sordidum ac ferox abdicaverat, sepositusque *Surrentum*. Ferocitatem Tacitus emollit, scribens *rudem* quidem *bonarum artium*, & *robore corporis stolidè ferocem*, attamen *nullius flagitii compertum* fuisse, sibi que ad verlam habuisse *Liviam*, cujus artibus tribuit illud exitum in *Insulam Planasiam*. *Servile ingenium* illi tribuit *Dio* & præcipitis iracundiæ animum. $\Delta\epsilon\lambda\omicron\sigma\pi\epsilon\pi\eta\varsigma\ \eta\upsilon\nu$, ait, $\tau\eta\ \tau\epsilon\ \omicron\gamma\gamma\eta\ \omega\rho\omicron\omega\epsilon\tau\eta\varsigma$, *Servilium* morum erat præcipitisque iræ. Adscribit cumulum vitiorum *Vellejus*, nimius in commendando *Tiberio* scriptor, & ne quid imputetur *Tiberio*, scribit: *Agrippa* (qui eadem die, quo *Tiberius* adoptatus ab avo suo naturali erat, et jam ante biennium, qualis esset, apparere coperat) mira pravitate animi atque ingenii in præcipitia conversus *Patris* (se, per adoptionem) atque ejusdem *Avi* sui animum alienavit sibi, moxque crescentibus in dies vitiis dignum furore suo habuit exitum. De exitu aliter judicandum, & importunitati is tribuendus *Tiberii* & *Liviæ*, quam furori *Agrippæ*. Quis furor ejus, qui in arto & obscuro loco sepositus & custodia appositus erat? Aliud est, quod in culpa est. Suspectus erat *Agrippa* *Tiberio* & *Liviæ*, ne imperium ac successionem *Augusti* affectaret, tanquam nepos *Augusti*, ideo interfectus, ut privignus *Augusti* securè ac sine metu imperium adire posset. Elatior *Tiberii* animus, invidia felle imbutus, alienos honores vel impediabat, vel si non posset deprimere, coneequebat, cum nondum liceret per *Augustum* aut pleniorum fortunam sese opponere. *Vulgatis* jam *Caji* & *Lucii*, item *Germanici*, honoribus, intus urebatur, quod præse eminent. Quos gratia valere apud *Augustum* vidit. ii di-

Sueton.

August. 6.

65. p. 122.

I. A. 3. 6.

55. p. 652.

2. Hist.

112. n. 7.

spli

splicuerunt. Gratiâ non valuit Agrippa apud Augustum, sed displicuit, ob mores ingratos, & ne inciperet post obitum Augusti placere populo, & studiis suis contrarius esse Tiberio, sævitia erat exercenda in eum, qui remotior vivebat in multa mentis tristitia. Principem impium Vellejus quomodo proteget, & pium faciet, qui auspiciis regni inauspicatum cæde Agrippæ reddit. Cæsar ut esset, cædit, & falsa opinione implet urbem. A Cæsare, charitatis in Necessarios experte, fuit facinus novi Principatus primum, ut inciperet imperium à Postumi Agrippæ, qui in Planasia insula exulabat, miserabili cæde, adhibito ad ministerium facinoris Centurione, de quo percussore Tacitus: *Primum facinus novi Principatus*

1. Ann.
6.1.

c.22.p.
179.

c.29.p.
305.
num.5.
p.180.

Lentul. de
are. reg. c.
11. p. 228.

lib.57.
p.692.

fuit Postumi Agrippæ cædes, quem ignarum inermumque, quamvis firmatus animo Centurio, agrè confecit. Missa mandata cædis fuerant ad Tribunum à Tiberio, è Nola urbe, sed à Centurione iussu Tribuni perfecta fuit cædes; unde Suetonius cum Tacito & Dione conciliandus, cum scribit: *Hunc Tribunus militum custos appositus occidit; ipseque Tacitus se explicat statim: Nihil de eare Tiberius apud Senatum disseruit. Patris iussa simulabat, quibus prescripsisset Tribuno custodia apposita, ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quando cunque ipse supremum diem explevisset.* Patrata cæde ad Tiberium venit Centurio, nuntians, factum esse quod imperarat. Nuntiata cæde Agrippæ simulabat Tiberius se conscium non fuisse tacti, negabatque se quidquam imperasse, & nihilominus rem silentio comprobatur, eo actu, quo Claudius etiam usus fuit apud Suetonium. Tacitus ita retulit: *Nuntianti Centurioni (ut mos militie) factum esse quod imperasset, neque imperasse se, & rationem facti reddendam in Senatu respondit.* Totidem ferè verbis Suetonius: *Renuntianti Tribuno factum esse quod imperasset, neque imperasse se, & redditurum cum Senatu rationem respondit, invidiam scilicet in presentia vitans, nam mox silentio rem obliteravit.* Frontem Tiberii intueri, auctoritatem cædis defugientis. An redargui non poterat? Nonne ille per codicillos ab aliis missos dederat mandatum? Culpane Ministrorum, quod mandato injungitur, & quàm mundus à crimine Tiberius, Dionis verba docent: *Τὸν Ἀγρίππαι παραχρημα, ἀπὸ τῆς Νώλης πέμψας τινα, ἀπέκλεινε, καὶ ἔλεγε μὲν μὴ ἐκ τῆς αὐτῆς πόρος ἄξιως τῆτο γερνέναι, ἐπιπείλῃ τε τῷ δράσαντι.* Agrippam statim à Nola

Nola misso percussore necavit, injussuque suo eam cadem patratam dicens, minatus etiam ei, qui fecisset. Minæ verò non ex animo factæ, nam neque ultus fuit quidquam, neq; prohibuit ulli τὸ λογοποιεῖν, sermonem spargere, & rumoribus materiam supeditare; aliis quidem, ab Augusto interfectum; aliis, quasi Centurio custodia appositus sua sponte Agrippam rebus novis studentem occidisset; aliis, Livia non Tiberii jussu patratam cadem, comminiscens. En ut à Tiberio simulatore nullo modo hæc sint! Illi omnis crudelitas displicet; ministrorum impietas accusanda; vel ad Augustum ipsum, supremam horam spiritus sui hæc ministeria mandantem, est respiciendum. Tiberius sc. supra modum misericors, & erga calamitosos humanus, hic innocens, qui, dicente ulterius Tacito, nihil de eâ re apud Senatum disseruit. Patris jussa simulabat, quibus præscripsisset Tribuno custodia apposito, ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandounque ipse supremum diem explevisset. Ait nil ad Senatum de eo retulisse, ut facinus exaggeret, nam initio solebat nil solus agere, sed de rebus omnibus cum Senatu communicare, neque n., quod ait Suetonius, tam parvum quidquam, neque tam magnum publici privati que negotii fuit, de quo non ad P. C. referretur; qui & interemti juvenis innocentis meminit his verbis: Excessum Augusti non prius palam fecit, quam Agrippa juvene interemto. Hunc Tribunus militum custos appositus occidit, lectis codicillis, quibus ut id faceret, jubebatur. Quos codicillos dubium fuit, Augustusne monens reliquisset, quo materiam tumultus post se subduceret; an nomine Augusti Livia, eâ conscio Tiberio an ignaro dictasset. Exosum factum in alios convertit, & quis non haberet fidem in re gravi tanto Imperatori? Centurione nuntiante factum esse quod imperasset, respondet, nihil tale se imperasse; tuumque erit, dicebat Centurioni, Senatui rationem tui facti reddere. Ita ille simulator, invidiam in presentiam vitans, quod ait Suetonius, qui mox silentio rem obliteravit. Hanc in examen revocans dissimulationem Sallustius Crispus, Consiliarius aulicus præcipuus, cui secreta Imperatoris innitebantur, metuere cepit, ne ipse auctor cædis substitueretur, conscius quippe fuerat consiliorum necis & mandatum Tribuno miserat, adit extemplo Liviam, eamque ad avertendum à se periculum specioso sermone induxit. Arcanorum promus condus erat Sallustius Crispus, quem

I. *Annal.*
6.2.

c.30.p.
185.

c.22.p.
179.

c.22.p.
180.

num. 6.

participem secretorum prodit Tacitus, cujus consilium etiam retulit, quo monuit Liviam, *ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur; neve Tiberius vim Principatus resolveret, cuncta ad Senatum vocando. Eam esse conditionem imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si Uni reddatur.* Suppeditat Sallustius Monarchis principium de arcanis Domus non vulgandis in Principatu, deque vi Principatus non resolvenda, ut omnia penes unum & ab uno sint, id quod admissum primâ fronte Monarchiæ, consiliis ad Unius arbitrium devolutis, ἐκ δὲ δὴ τῶ χρόνῳ ἐκείνῳ τὰ μὲν πλείω κρύφα καὶ διὰ πόρρῃτων γίνεσθαι ἤρξατο, *ex eo tempore*, Dionc id scribente, quo Respublica ad Unius Imperium venit, *pleraque ceperunt occultè & per arcana agi*, cum antea inter Senatum populumque omnia communicarentur; in eâque libertate longè dignius locutus fuit Cicero, *honestâ Viris bonis, non occulta querenda esse.* Arcana domus & Arcana Imperii Tiberiana ejusmodi erant, ut accipienda fuerint in malam partem, quia erant flagitiosa. Flagitiosum erat *Arcanum Domus*, Agrippam è medio tollendum, ne noceret. Alio modo tollendus erat quàm per necem, si metendus erat. Ast verò inermem & inopinantem Agrippam Centurio aggressus fuit, suumque ipse animum ad facinoris audaciam obfirmans difficulter interemit, robore n. corporis & ferocia prævalebat, nec segniter percussori obluctabatur, 3. A. 6. 3. Quomodo ratio constet verborum de *vi Principatus non resolvenda*, quò uni constet, vide apud Bœclerum ad 1. Ann. 6. n. 9. p. 105, 106, 107; Lentulum de Arcanis Regn. cap. II. p. 229, 230, 231 Ministeria mala, quamvis jussu Principum fiunt, ipsis Ministris solent fieri sæpe exitiosa, nec creditur ipsis, suspectique sunt Dominis ob prompta officia. Præclara est in hanc rem observatio Taciti in *Aniceto*, scelerum ministro apud Neronem ad parricidium, qui *levi post admissum scelus gratia* fuit, dein *graviori odio*, quia, inquit, *matorum facinorum Ministri quasi exprobrantes aspiciuntur*; adde, & sæpe evertuntur. Scelerum Ministri à Tiberio quomodo mutati fuerint, & quàm gratia mutabilis fuerit, tradit Tacitus 4. Ann. 71. 2. *Scelerum ministros, ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus, & oblati in eandem operam recentibus, veteres & prægraves adflixit.* Gratia scelere quaesita fugaces, & ficulneum in iis præsidium, quod ait at-
que

14. A.

62.2.

que docet Cyr. Lentulus 1. Aul. Tiber. 160. p. 130; præmiaque ejusmodi ministrorum, publicum hominum odium, & demùm exitium, Lentulus de arcan. Reg. c. 11. p. 229. Sed facile est fortè, ut feramus ministeria Tribuni & Centurionis; Ministeria verò illa *Ministri* vel potius *Magistri Dominationis*, *Sallustii* sc. *Crispi* quis patienter ferat; quis ferat illa ministeria, quæ videt etiam fieri à *Senatoribus in Tiberium* ex merâ adulatione? Quanta qui sibi videntur honorare suum Imperatorem, de illo mentiuntur; quia falsò & non ex animo honorant? Qui consulares fasces gerebant, qui fulgebant in Senatu instar siderum, sese abjiciunt, & adorant Tiberium. Obsequium in novum Principem retulit paucis quidem verbis Tacitus, sed admodum memorabilibus: *At Romæ ruere in servitium Consules, Patres, Eques. Non ibat in servitium bona urbs, sed RUEBAT.* Ruebat 1. Ann. servitio in exitium. Servitium dixit figuratè, signans non tam even- 7.1. tum rei & tyrannicum *Tiberii imperium*, quàm servile propositum Boecius animique studium, quo illi adulatoria, adeoque servili, humilitate & in Annal. vanitate ruebant non tam in civile obsequium, quàm in servilem fa- p. 109. mulatum. Itaque itum est pleno gradu in ruinam, & quanto quis illustrior, pergunt Tacitus, tantò magis falsi & festinantes, vultuque composito, ne lati excessu Principis, neu tristiores primordio, lachrymas, gaudium, questus, adulatione miscebant. Sic pristino Augusti statu statim converso inter timorem & dolorem anxii illustriores, quos vocat, ne suspecti inter Tiberianos furores fierent, fingebant & simulabant omnia fœdâ animorum servitute, nec sine magnâ in his divorticulis difficultate. Tiberius nullo armorum terrore, sed precibus & obtestationibus Patrum ad imperii custodiam quæritur. Preces illas alii simulatas volunt fuisse, & vero simile est, simulato animo imperium de latum, quod Imperium etiam Tiberius simulat se invitum & q. coactum assumere, de quâ simulatione sollicitè dissimulata mox agetur. Agnoscimus in hoc obsequio homines ad servitium projectissimos, nec pro publico & veteri laude agentes, & videmus animos turpiter abjectos ad infimas etiam obtestationes in Urbe, Reipublicæ Domina. Vitium animorum fuisse nimiam in Tiberium adulationem axiomate proponit Dn. Lentulus, & deducit in Aula Tiberii axiom. 106. p. 261. Adulatione verò quid impetrabant, quidque in simulationibus sperandum erat? Simulabat tre-

pidè Senatus, diffimulabat tectè Tiberius. Diffimulato ingenio suo Tiberius initio Principatus contendebat videri optimus Princeps, maximè cùm adhuc viveret Livia mater, & in sorte suâ felicius degeret Germanicus, Fratris Filius. Quid actum sit variè, Tacitus potissimum & Suetonius scribunt, qui nobis describunt Tiberium specietenus probum, primò benignum & moderatum; postea crudelem, & à morte Livix Matris atque Germanici ferociorem. Simulabat animum obtegebatq; vitia, Matris Livix reverentiâ, Germanici metu & æmulatione, Drusi populari gratiâ, inductus, quibus fato aut fraude ereptis mox in omne genus vitiorum erupit. Ele-

II. *Annal.* ganter, ut omnia, Tacitus: *Morum tempora illi diversa; egregium vitâ famâque, quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter bona malaque mixtus incolumi matre, instabilis sævitia, sed obiectus libidinibus, dum Sejanum dilexit timuitve. Postremò in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore & metu suo tantum ingenio utebatur.* Expressè docet Tacitus morte Livix auctam Tiberii dominationem, ex eo, inquit, pra-

rupta jam & urgens dominatio; nam incolumi Augusta erat adhuc perfugium, quia Tiberio inveteratum erga Matrem obsequium, 5. *Annal.* 3. 1. Nec Livix adhuc vivâ gubernatio Tiberii solummodò appa- rebat venerabilis, sed & læta erant initia, per multisque approbata, Germanico vivente, nam & ejus respectu moderatè tractasse Rempublicam, Dio lib. 57. p. 695, & Xiphilinus p. 224. tradunt: Εφ' ὅσον ὁ Γερμανικὸς ἔζη, μετεϊώτερον ἦρχεν. αὐτὸς μὲν γὰρ καθ' ἑαυτὸν ἢ τι, ἢ ἕδ' ἐν ἔπραττε. πάντα δὲ δὴ καὶ τὰ σμικροτάτα ἐς τετὴν γενεσίαν ἐπέφερε, καὶ ἐκόινε αὐτῇ. καὶ συμβύλας δὲ αἰεὶ κατὰ τὸν Αὐγύστον παρελάμβανε. Tiberius, quousque Germanicus vixit, principatum gessit modestius atque moderatius; paucan. faciebat ex sese, vel nihil potius, sed de minimis quibusque rebus referebat ad Senatam, cum eoq; communicabat omnia, & Consiliarios, ut Augustus consueverat, capiebat. Legi ibi possunt & cætera, quæ, dum viveret Germanicus, laudabilia fecit, quo è vivis sublato degenerare à moderatione capit, nam apud Xiphilinum: Ταῦθ' ἔτι πάντα μέχει γε καὶ ὁ Γερμανικὸς ἔζη, ἐποίει μετὰ γὰρ τῆτο συχρὰ μετέβαλεν, ἐπειδὴν τῆ τῆ ἡγεμονία ἐφ' ἐρέουσι. ἀπὸ πηλ. γη. Hæc omnia ab eo facta fuere, quousque vixit Germa-

p. 227.

Germanicus vixit

Germanicus; quo defuncto, velut insidiatore Imperii sublato, mores commutare cepit. Et deinde: Τῷ δὲ δὴ Γερμανικῷ τελευτήσαντι ὁ μὲν P. 130.
*Τιβέριος καὶ ἡ Λιβία πάνυ ἠσθίονεν Τιβέριος δὲ, ἐπεὶ τὸ ἐφεδρῆσον ἔκετ' εἶχεν, ἐς πᾶν τέναντίον τῶν παρόσθεν εἰργασμένων αὐτοῦ, πολλῶν ὄντων καὶ καλῶν, περιέστη. τὰ τε γὰρ ἄλλα ἀγείως ἤρξε. Mortuo Germanico Tiberius & Livia magnā letitia affecti sunt. Tiberius postquam neminem habuit adversarium & competitorem in Imperio, ab iis rebus, quas antea bene gerebat, deficere, & cuncta acerbè administrare cepit. Sublato Germanico in apertum mox prodiit sævitia, nec simulationi, quam toties tantā adhibuerat diligentiam, rectè deditus fuit amplius. Silentio non tegit hoc Suetonius, dicens, *Anxi gloriā desideriumque defuncti Germanici etiam atrocitas insequentium* c. 6. p. 215.
*temporum, cunctis nec temere opinantibus, reverentiā ejus ac metu repressam Tiberii sævitiam, quæ mox eruperit. Erupit, inquam, nam quæ ei sævitia quasi à natura data & insita fuerat, repagulo remoto, cum impetū erupit, luculentum enim hic testimonium Horatii evadit:**

Tolle periculum,

Iam vaga profiliet frenis natura remotis

Dicere solebat Tiberius Principis animum nemini cognitum esse debere, memorante Dione lib. 57. p. 690. Nemini patuisse ex Tacito toties habemus I. Ann. II. n. 5; c. 13, n. 4; c. 16. n. 2; & lib. 4. c. 1. n. 4. Patuit tamen, licet occultissimus videretur, licet observantissimus initio vellet haberi æquitatis & justitiæ. Non diu occultata fuere crimina, quæ cohiberi non poterant. Callidus imperandi Princeps si quid bene fecit, temporis & scenæ servit, & quidem ad tempus breve nimis, & ad speciem tantum, verè veterator & ad summum dissimulator. Quid ad laudem Tiberii queat adduci, id deduxit commodè Cl. Bosius Dissertationis de Tiberio quintā parte à th. 22. usque ad num. 44, cui penitus actiones Tiberii inspicienti, si *fortitudo & prudentia* excipiatur, vix aliquid apparet veri. Quæ in Tiberio possent studia commendari, strictim etiam dedit Cl. Rupertus Observ. in Besold. p. 279, 280, 281, Taciti historiam culpans, quem *Senatoriæ factionis scriptorem* traducit, & quam alii in Tacito laudant ἀκρίβειαν, ipse aliorum accipit, verbis metuendis, p. 282, 283; sed non sumus capaces ejus sermonis, ut laudemus illum, quem

C 3

nullus

lib. 58. p.
733.

5. de Be-
nef. 25. p.
477.

6. A. 48.
3.

7. 4. p.
579.

nullus laudat, nisi velis laudare Neronem cum Cardano, aut Domitianum, ob vocem memorabilem aliquam. Bene laudaretur Tiberius, si perstitisset sine colore in iis, quæ factitasse legimus ad laudem, & tenore capto permanisset. Initio Tiberius videbatur præditus virtutibus, cum magna vitia laterent. Vitam Tiberii Dio concludens ita infit: Τιβέριος ὁ πλείστας μὲν ἀρετὰς, πλείστας δὲ κακίας ἔχων, καὶ ἐκατέρωθεν αὐταῖς, ὡς καὶ μίνας, κεχρημένος. *Tiberius, homo magnis virtutibus præditus coopertusque sceleribus, ac ambobus pariter usus, quasi tantum in alterutro se exercuisset.* Sic & Xiphilinus exscriptor definit p. 244. Idem Dio l. 57 p. 704. Ὁ Τιβέριος τῶν ἀλλοτρίων ἰχυρῶς, μέχρι γὰρ καὶ τὴν ἄλλην ἀρετὴν ἐπετήδευσεν, ἀπεχόμενος, μήτε τὰς κληρονομίας, ἃς τινες αὐτῷ συγγενεῖς ἔχοντες κατέλιπον, ποροσιέμενος, πᾶμπολλα εἰς τε τὰς πόλεις καὶ τὰς ἰδιώτας ἀνήλισκε. καὶ ἔτε τιμὴν, ἔτε ἔπαινον ἔδεναι ἐπ' αὐτοῖς ποροσιδέετο. *Virtutibus adhuc deditus Tiberius fuit alieni abstinentissimus, & ne hereditates quidem à Cognatis sibi relictas adiit; in urbes & privatos homines multam impendit pecuniam, neque inde aut honorem aut laudem admisit.* De mutatis moribus, sive potius de dissimulato animo obtecto Suidas: Αἰφνιδίως εἰς τὴν χεῖρον γνώμην μετετέθη, ὡς ἐπαφρονεῖν νομισθῆναι. *Subito in pejus ita mutatus est, ut mentis errore affici putaretur.* Morum hanc mutationem proprio ipsius Cæsaris exemplo declarat Seneca: *Tiberius Cæsar inter initia dicenti cuidam, Meministi, antequam plures notas familiaritatis veteris proferret, Non memini, inquit, quid fuerim. At hoc nedum esset repetendum beneficium, optanda erat oblivio. Aversabatur omnium amicorum & æqualium notitiam, & illam solam præsentem fortunam suam aspici, illam solam cogitari ac narrari volebat.* Naturam & institutionem suam dedidicisse, licentiâ imperii abstractum, & depravatum, innuunt verba Taciti: *An cum Tiberius post tantam rerum experientiam vi dominationis convulsus & mutatus sit?* Sic quidem solet fieri, ut magni honores immodicæque potestates hominum animos ad fastum extollant atque corrumpant; sed in Tiberio corruptus ante regnum animus, sed obtectus, facile potuit fieri corruptior vi dominationis. *Ex mansuetissimo Principe se viffimam bestiam exarsisse* Orosius scripsit; nosque concludimus verbis M. Antonii Sabellici, quæ extant in Præfat. ad Tiber. Suetonii f. 125. *Si talem se Tiberius in suæ administrationis recessu*

cessu prestitisset, qualom ab initio promiserat, merito inter optimos eorum, qui post C. Cesarem sunt Romæ rerum potiti, haberi potuisset, sed nemo diu personam ferre potuit alienam, citò n. functa in suam recidunt naturam. Aegrè quidem frangi moderatumque Principem tantisper carnifex natura illa egit, dum, per quam tutius se vireliceret, scena comparet. Sed ea diu malè dissimulata crudelitas, libido & avaritia, tres gravissimi vitæ affectus, in humani generis perniciem ex improviso erupere. Quæ planè vitia quo minus ex ficta illius persona fuerunt expectata, eo majorem omnibus gentibus stuporem intulere, nec tantùm mala illa in sua tempora se viere, sed pessimo exemplo detestabili Principum carnificina fores aperuerunt; hinc n. Caligula, Neronnes, Domitiani, Commodi, Severi aliæque Rom. Imperii pestes extitere. Publicandæ jam sunt illæ artes Tiberii, & simulatio animi detegenda est copiâ exemplorum, quæ cognoscenda nunc proponimus,

4. Imperator in omnibus fictus & simulatus, abditus & tectus, sentiens aliter ac loquens, aliter loquens ac sentiens, perpetuò sibi dissimilis, dubius animi, suspicax, involutus atque solito more ad simulationem & dissimulationem compositus.

Fucatus Tiberius quicquid expetebat, id odisse simulabat, & quicquid oderat, expetere præ se ferebat, omnia agebat in adversum, pectore & lingua usque quaque dissentientibus, atque, ut Tacitus memorat, nullam ut rebatur ex virtutibus suis magis quam dissimulationem diligebat. De Livia faciens verba Tacitus ait illam cum artibus Marci & simulatione Filii bene compositam, Augusto Cæsari artes Politicas tribuens, Tiberio simulationis artificium. Nemo alius melior interpret dissimulatores pessimi quam Dio, lib. LVII initio exhibens occultatorem mirum affectuum, per contraria agentem, irascebatur enim specie intusq; gaudebat, gaudebat vultu composito irascebaturque animo; unde meritò ei tribuit quò in id iudicatur, naturam singularissimam, moresque peculiare.

4. Annal.
71. n. 3.

5. A. 1.
n. 5.

πδω

Dio lib.
57. p.
690, &
Xiphil.
p. 222.

p. 857.

p. 626.

Ep. 4. ad
Rusti.
col. 48.

πάν τε ὁ ἐπόθει ἠγνεῖτο, καὶ πάν ὁ ἐμίση προετίθειτο. ὠργίζετο τε ἐν οἷς ἠκίστα ἐθυμῶτο, καὶ ἐπεικῆς, ἐν οἷς μάλιστα ἀγανάκτη, ἐδόκει εἶναι. ἠλέει τε δὴ δέν, ἕως σφόδρα ἐκόλαζε, καὶ ἐχαλέπαινε, οἷς συνεγίνωσκε. Τόν τε ἔχθιστον ὡς οἰκειότατον ἔειπε ὅτε ἐώρα, καὶ τῷ Φιλτάτῳ ὡς ἀλλοτριωλάτῳ προσεφίελο. Τότε σύμπαν, ἕκ ἠξίε τὸν αὐταρχεῖν κατὰ δῆλον, ὧν φρονεῖ εἶναι. *Id negabat, quod expetebat maxime, & quod oderat, amplectebatur. Iram simulabat, ubi minime indignaretur; comitatem, ubi maxime indignaretur; misereri scilicet eorum videbatur, quos acerbè perniebat; odisse eos, quibus veniam dabat. Vultum quoque inimicis benevoluntiam, amicis minime familiarem ostentans. Ad summam, non existimabat oportere Principis sensa cuiquam patere. Peculiare hoc ingenium eodem tradidit modo Suidas, quod insignis fuerit hypocrita, καὶ ἰδιαιτάτη φύσει ἐκέχρητο, peculiari natura fuerit praeditus. ἕτε ὧν ἐπεθύμει, προσεποιεῖτο τε. καὶ ὧν ἔλεγεν ἔδειν ποιεῖν ἐβύλετο, ἀλλ' ἐναντιωλάτης τῷ προαιρέσει τῶν λογισμῶν ποιεῖμεν &, πάν ὁ ἐπόθει, ἠγνεῖτο, καὶ πάν ὁ ἐμίση, τῷ τῷ προσετίθειτο, Non eorum, quae appetebat, quicquam pra se ferebat, & eorum, quae dicebat, nihil facere volebat, sed cum verba voluntati suae contraria faceret, quicquid appetebat, recusabat, & quicquid averfabatur, amplectebatur. Idem Aurelius Victor ait & his quidem verbis: Ingenio fuit pessimo, truci, avaro & insidiosò, simulans ea se velle, quae nollet. His quasi infensus, quibus consultum capiebat, iis vero, quos oderat, quasi benevolus apparens. Idem Hist. abbrev. 2. p. 612. Imperii nomen astu obtinebat, subdulus & occultior, hisquè saepe simulando infensus, quae maxime cuperet, & insidiosè deditus, quae odio erant. Non intelligi volebat Tiberius, quis esset, neque n. dictis ejus quis fidere poterat, cum animus ejus nesciretur, feliciorque erat, cui nihil negotii erat cum versipelli ingeniique singularis Principe, χαλεπὸν ἦν, ait Dio, μηδεμίαν αὐτῷ σύνεσιν ποιεῖσθαι, χαλεπώτερον δὲ συνίεναι. Periculosum erat, non intelligere, qui ipsius esset animus, periculosius etiam intelligere. Mirum certè plasmatione Principis, qui per dissimilia neque sibi similis, neque dissimilis, totusque ambiguus, non secus ac ille Grunnius apud Hieronymum, ut ex contrariis diversisque naturis unum monstrum novamque bestiam diceret esse comparatam, juxta illud Poeticum:*

Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimera.

Sermo aliàs dicitur index animi, sed mangonio & perplexitate verborum

borum animam in vitiis cubantem condebat; Sinonisque æmulus variis simulationum involucris se obtegebat, cujus frons, oculi, vultus mentiebantur, animus in secreto necebat fraudes. Κρυφίνες erat, hypocritico schemate undiquaque visus incedere, composito sermone ad omnia simulationis artificia. Simulator erat usque ad imas medullas, vix penetrari poterat τὸ ὑπερὸν αὐτῆς τῆς διανοίας καὶ ὄφθαλον, *mens tecta & insidiosa*. Ex fronte quidem poterat cognosci nubilum vultus, sed non nubilum cordis. Frons quum serena videretur, erat obscura. In limine alius, alius in recessu erat. Sine disceptatione tortuosus & perversus erat, sed quomodo & quando, nemo nisi Tiberius noverat. Omnia opera ejus cum ipsa mente, ad omnem perversitatem composita, congruebant, non item cum dictis aut vultu. Pestilentissimum animum tam vafris occultisque verborum fraudibus involvebat, ut ipsis etiam rerum politicarum aristarchis imponeret. Simplici ille imponebat, prudentiori negotium faceflebat. Verba & vultum torquebat in crimen variæ simulationis non sine discrimine Senatus Civiumque. Noscebat Senatus sensus ejus reconditos, frontem natam ad simulanda & dissimulanda, quæ volebat. Non noscebat, in quem Senatorum fabricaretur machinam, quem peteret, quem cuperet eversum. Nec mens vestigari poterat, nec præverti ruina. Afferi vim, non animadversam prius, & fallere posse, in eo gratulabatur sibi ingenium esse. His artibus ingenii malis instructus arridebat, ut sæviret; blandiebatur, ut falleret; alliciebat, ut occideret; extollebat, ut deprimeret; humanitatem simulabat, ut ad cædem se pararet. Quæ hæc hypocritis tyrannica, blandè compellare, & ad te invitare, quem oderis; quæ fraus, aliud jubere, aliud fieri velle? Nemo hic tutus, sive adulator, sive delator, sive ingenuus homo verique tenax, πάνυ γὰρ πολλὸν ὄχλον παρεῖχεν, εἴτε τις ἐναντιοῖτο, οἷς ἐλεγε, εἴτε καὶ συναίροιτο, *erat quippe maxima difficultatis, dictis ejus vel refragari, vel adstipulari*. Adulatores mentem ambiguam nescientes eludebantur, nec tuti in adulando, nec certi in more agendi, incerti de ambitione callidâ calliditateque ambitiosâ, mixtâ cum suspicionibus & violentiâ; unde *angusta & lubrica oratio sub Principe, qui libertatem metuit, adulatione odit*, inquit de eo Tacitus 2. Ann. 87 3; & alibi: *Adulatio moribus corruptis perinde anceps, si nulla, & ubi nimia*, 4.

D

A. 17.

Dio p.
690.

cap. 27.
p. 183.

Suet. Tib.
c. 27. p.
184.

Aul. Tib.
ax. 82.
p. 71.

p. 245.
seqq.

Aul. Ti-

A. 17. 1; num verò aliquid frugis sit in his verbis Suetonii, perpen-
dito: *Adulationes adeo aversatus est, ut neminem Senatorum aut offi-
cii aut negotii causâ adlecticam suam admiserit. Consularem verò, sa-
tisfacientem sibi, ac per genua orare conantem, ita suffugerit, ut cade-
ret supinus.* Erat, qui Principis occupationes sacras vocaret, quod
correxit, tanquam manifestam adulationem. Idem qui apud Ta-
citurum *oblatum Templi honorem* deprecatur, *neque vult promiscuis
adulationibus vulgari*, 4. Ann. 37. 5. Incredibili sanè ingenii altitudi-
ne, ut sui animi secreta vultu & verbis abdidit, ita suspicaci rerum
indagatione aliorum operta & aperta rimabatur, scribente Lentu-
lo. Difficilius prævidebatur occultus Tiberius quàm apertus Ne-
ro; facilius quippe supplantat, qui sub specie gratiæ & amicitia
fraudem occultat; proprium n. doli est se dissimulare. Veneficus
sub melle tegit venenum. Proditor sub obsequio fraudem. Hypo-
crita sub religione malitiam. Palliabat Tiberius suam iniquitatem,
aliud occultans, aliud simulans. Odiâ quò tectiora, magis pericu-
losa, præsertim sub blanda facie & officiorum specie delitescunt.
Tiberiana hæc facies fuit, quæ, dum videretur blandiri, perdebat,
qui poterat eò diligentius tegere perniciem, quò propior erat. Hoc
Tiberianum occultum opprimebat, antequam perspicere atque
explorare posses. Qui omnia fere scierat per delatores, adultores
& alios nuntios, ille ignorantiam obtendebat. Simulandum erat
cum simulante, & periculosum erat, si quis præ se ferret simulatio-
nem intellexisse malè simulantis Principis, nam hic suspectabatur,
tanquam mentem ejus odiosius inquireret, teste Dione. Qui in-
cauti erant, involucris verborum innexi subvertebantur, quod no-
tatum Tacito 1. Ann. 7. & 8. Tenebras esse voluit suas simulatio-
nes, quumque essent, qui bono etiam animo vel umbram aliquam
sibi perspectam Principis tenebricosi de se proderent, iis erat offen-
sus. Simulationem intuebantur Asinius Gallus & L. Aruntius, Ha-
terius & Scaurus, quumque non respondissent ad votum Principis,
& arcana Accismi tentassent, in offensionem Principis incurrerunt.
Monstrat ea exempla Tacitus 1. Ann. 12 & 13, ibique Bœclerus cir-
cumspicit rationes. Singularis in scenam oblitâ facie prodeundi
artifex Tiberius tam multa simulationum exempla offert, ut præ
copiâ eligendi facultate laboremus, iudice Lentulo. Exempla nos
non-

nonnulla, Accisimum exponentia, afferemus; *Accisimum* a. dicimus ab exemplo mulieris, quæ *Acco* dicta, appetebat rem, quam tamen admodum dissimulabat; unde *ἀκκίσιον* vox de iis, qui aliquid præ se velle ferunt, quod nolunt; & nolle, quod volunt; qui maximè dissimulant se appetere, quod maximè appetunt. Simulatio erat, ut hinc incipiamus, quod *Cajo* adhuc *vivo* Adoptionem Patris recusaret, & Tribunatum declinaret, quod *Vellejus* scribit: *P. V. nicio Cos. Tib. Nero, reversus Rhodo, incredibili letitia patriam repleverat. Non est diu cunctatus Cesar Augustus, neque enim querendus erat, quem legeret, sed legendus, qui eminebat. Itaque quod post Lucii mortem adhuc Cajo vivo facere voluerat, atque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus, post utriusque adolescentium obitum facere perseveravit, ut & tribunitiæ potestatis consortionem Neroni constitueret, multum quidem eo cum domi, tum in Senatu recusante, & cum *Elío Cato* & *Sentio Cos. v. Kal. Jul. post V. C. annis DCCLIV, abhinc annis XXVII adoptaret. Simulato amore venerabatur Cajum, quem occultè oderat, de quo Dio: Τὸ δὲ Γαίῳ ἐπέειπε τὸν πρὸς Ἀρμενίαν πόλεμον, ὃ Τιβέριος χεῖρον ἐλθὼν αὐτὸν ἐπεισε. ἔταπεινε γὰρ αὐτὸν, καὶ ὑπέπιπτεν ἔχ' ὅτι τῷ Γαίῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς μετ' αὐτὸν ἔσι.* *Misso ad bellum Armeniacum Cajo Tiberius in Chium profectus cultum ei ac officia prestitit, submititque se non Cajo tantum, sed omnibus qui cum ipso erant. Contrarium scribit Vellejus, dicens Cajum omnem honorem Tiberio, ut superiori habuisse. Conferatur Suetonius c. 12. p. 171. Apertè vel irasci, quàm occultè odisse, virilius fuisset, quod singulari axiomate differit *Dn. Lentulus*. Simulabat se *Filium obedientissimum* post adoptionem, nec quidquam postea pro *Patrefamiliâs* egit, aut jus quod adoptione amiserat, ex ulla parteretinnit; nam neque donavit, neque manumisit; nec hereditatem quidem aut *Legata* percepit ulla aliter, quàm ut *peculio* referret accepta. Quæ verba ut intelligantur, malumus id verbis *Beroaldi* quàm aliorum exponere. *Tiberius postquam adoptatus est nihil egit tantquam *Paterfamilias*, sed tantquam *Filius*, neque retinuit jus patriæ potestatis, quod perdidit, dum per adoptionem transit in alienam potestatem, & ex *Patrefamiliâs* fit *Filiusfamilias*. Simulabat sub pietate erga defunctum Augustum potestatis suæ incrementum, quemque dum cælo infert, sibi venerationem majorem quærit, reverant.***

ber. Aph.
4.p.14.

2. Hist.
103. n. 2.

lib. 55.
p. 636.

2. Hist.
101. I.

Aul. Ti-
ber. p.
426.

Suet. c. 15.
p. 174.

p. 135.

- Tacit. 1.* sunt simulata verba, aliud sub se tenentia, quum scribit Senatui: *Non*
A. 73. 3. *ideo decretum Patri suo calum, ut in perniciem civium is honor ver-*
in Tacit. *teretur.* Σὺν ᾧ hęc est, (Boeclerus id inde colligit) & ficta simula-
p. 225. *ti oris modestia, reverà n. id agebat, ut crimen majestatis hoc veluti*
fulcro nixum sub nomine religionis in Augustum adolesceret, & mox
pro Principe in exitium omnium suspectorum (quis a. bonus & clarus
Tyranno non suspectus?) valeret. Certè venerationem dominatui
quæsitam inde paucis sed difertis verbis docet Plinius. Dicavit cælo
Tiberius Augustum, sed ut majestatis crimen induceret. Simulabat
magnum tristitiam coram Senatu & Civibus ob mortem Augusti,
primoque congressu Senatorio inchoata allocutione de re repente ve-
lut impar dolori congemuit, utque non solum vox, sed & spiritus defice-
ret, optavit, fraudulento gemitu astutaque voce. Quâ ipsâ etiam
callidè declinabat imperium, principatum enim recusavit impu-
dentissimo animo, nunc adhortantes amicos increpans, ut ignaros,
quanta bellua esset Imperium, nunc precantem Senatum, & procum-
bentem sibi ad genua ambiguis responsis & callida cunctatione suspen-
dens. Quod quidem, ut Aurelius Victor scribit, astu fecerat, ut di-
sceret, quid singuli dicerent vel sentirent, atrociter explorans, quæ res
bonos quosque pessum dedit, astimantes enim ex animo eum longa ora-
tione imperialis molestia magnitudinem declinare, cum sententias ad
ejus voluntatem promunt, incessere exitia postrema. Spiritu vertigi-
nis ex omni parte per simulationem rotatus tandem quasi coactus
& querens (pergit Suetonius) miserâ & onerosam sibi injungi servi-
tutem recepit imperium, nec tamen aliter, quàm ut depositurum se
quandoque spem faceret. Aliud erat effatum oris, aliud secretum ani-
mi. Animi effatum & sensum si introspicimus, id tergiversando
ambibat animus Tiberii, ut electus vocatusque potius à Senatu sive
Republicâ videretur, quàm per fãmineum Livix ambitum & seni-
li adoptione irrepsisse. Fligiosum n. animum, quem impudentis-
simum vocat, recondebat. Dubiam & anxiam Tiberii subdoli men-
tem variæ post Augusti obitum suspiciones involvebant. Ambi-
guus primùm imperandi dabat fama, teste Tacito, ut vocatus ele-
ctusque potius à Republicâ videretur, quàm per uxorium ambitum
& senilem adoptionem irrepsisse. Electus videri volebat, non hære-
ditate aut adoptione datus Imperator, gnarusque imperandi vo-
lunta-
- 1, 7. 7.*
An.

luntate Patrum fascepti imperii famam aucupabatur. Aperit verò rem Galba, dicens: *Sub Tiberio, & Cajo, & Claudio, unius familiae quasi hereditas fuimus; loco libertatis erit, quod eligi capimus.* Timebat, ut idem ait, ne Germanicus imperium habere quàm expectare mallet, augebantque terrorem, seditio exercituum in Germaniâ, & falsò creditus cæsi Agrippæ ultor. Aliud itaque sentiebat, quod hic apparet, & aliud prædicabat. Cunctabundus imperium acceptabat, cum id diu anhelasset. Id operam dare voluit, ut consensu populi videretur regnare, præ seque tulit animum ab imperiò longè aversum. Vertit se in omnes formas hic Proteus, & Chamæleontis ritu variè colorem mutat; id n. est, quod *variè differuisse* scribit Tacitus, quem Proteismum & Accismum ex Suetonio & Tacito Dn. Bœclerus bene deducit. Simulatione hâc Pompejum imitabatur, de quo Xiphilinus memorat, quod *παραιτήσας τῆς ἀρχῆς ἐπιπλάσων, ficta recusatione imperii, usus fuerit erga plebem, aut σπυδαρχίαν* five aviditatem imperii ejusdem non fuisse ignotam. Quis verò crederet Vellejo, qui animum purum fidemque sinceram tribuit spud archo, speciosis velanti verbis hanc recusationem Principatus? *Una (ait) veluti luctatio civitatis fuit, pugnantis cum Casare Senatus populique Romani, ut stationi paterna succederet; illius, ut potius æqualem civem, quàm eminentē liceret agere Principem. Tandem magistracione quàm honore victus est, cum quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret, soli que huic contigit, penè diutius recusare Principatum, quàm, ut occuparent eum, alii armis pugnarent.* Velet Vellejus, venerationi Principis nimium deditus, quicquid velit; velari calliditatem & Accismum Tiberii non patitur fides historiæ apud Tacitum, hâc parte diligentem. Quis verò nescit occultis Matris artibus & paucorum consiliis appetivisse imperium, atque ita moderatum omnia fuisse, ut oblatum respuere, quàm acceptum acceptare videretur, habens in pectore falsitatem, in linguâ dolum, in animo cupiditates regni. Annunciavit hanc simulatam imperii recusationem, sed non fide sincerâ, Ovidius:

*Nam Patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus in aethereas numen abuisse domos,
Esse parem virtute Patri, qui frena rogatus
Sepe recusati ceperit imperii.*

D 3

Simu-

1. Hist.
Tac. 16. 2.in 1. Ann.
p. 121, 122.
p. 138.

2. 124. 2.

4. de Pon-
to 13. v.
25.

- Simulator vafer, ut ad alia pergamus exempla, *erga Matrem Liviam* fuit, cujus honorem præ se ferebat, Senatûs verò honorem in eam suppressit, tantumque non eandem suppressit, de quo Dio lib. 57. p. 699; lib. 58. p. 712; Suetonius in Tib. capp. 50, 51. pag. 199, 200; Tacitus 1. Ann. 14. ibique Boeclerus p. 253, 254, 255, 256, 257. Vafritie simulabat *benevolentiam erga Germanicum*, crebris Epistolis sollicitabat, ut Romam rediret *ad decretum triumphum*, & cum cunctaretur Germanicus & precaretur, ut liceret arma feliciter progredientia provehere ulterius, ibi ille *acrius modestiam ejus adgreditur*, alterum *Consulatum offerendo*, cujus munia præsens obiret. Quid ad hæc ille? *Haud cunctatus est*, inquit, *uitrà Germanicus, quanquam fingi ea, seque per invidiam parto jam decori abstrahi intelligeret*. Quod verò elogium est Velleji de honore in Germanicum collato? *Quibus*, ille ait, *præceptis instructum Germanicum suum, imbutumque rudimentis militiae secum acta, domitorem recepit Germaniae? Quibus juventam ejus exaggeravit honoribus, respondente cultu triumphii rerum quas gesserat magnitudini?* Imò id Tacitus remoto velo adulationis dicet: *Statuit amoliri juvenem specie honoris*. Callidè sc. & ex ingenio,
Simplex apparet, simplicitate caret.
- Primordia regni si spectas, si progressum & exitum consideras, involvit se variis simulationum generibus. Primordium in occulto fuit Agrippæ cæde. Quam ille dissimulârit suum & Matris facinus in cæde Agrippæ, antea dictum, & nunc, quia de simulatore expressè agitur, piaculum esset illud piaculare facinus præterire. Erat à Tiberii consiliis arcanis Sallustius Crispus, *præcipuus, cui secreta Imperatorum (Augusti & T.) inniterentur, & interficiendi Postumi Agrippæ conscius*; cumque is comperisset Tiberium, invidiam facti vitantem, dissimulasse & negasse, quod tamen imperasset, metuere cepit, ne ipse auctor cædis substitueretur, *ne reus subderetur, juxta periculoso ficta seu vera promeret*, dicet e Tacito, Liviam monuit, ne arcana domus vulgarètur. Dissimulavit suum & Matris Liviae facinus interemti Agrippæ, eâ n. perfectâ cæde *nihil ea de re Tiberius apud Senatum disseruit, Patris jussa simulabat*, dicente iterum Tacito, ne vel excusando vel referendo agnoscere scelus videretur; atque ut invidiam facti aut rumorem famæ declinaret, præ se tulit Augusti jussu
- Tacit. 2.
Ann. 26.
n. 6. 7.
2. 129. 2.
2. 11. 42.
2.
- Tac. 3. A.
30. 6.
1. Ann. 6.
6.

jussu accidisse eam eadem, relictumque fuisse ab Augusto man-
 datum ad Tribunum, ut statim post suum obitum Agrippa interfi-
 ceretur. Occultum fuit hoc primordium novi Principatus, ac ra-
 ptim transactum. Nunc spectanda alia, quæ *in publico* egit; se oc-
 cultans fingensque vario schemate. Ab initio principatus sese mo-
 destum, mitem, liberalem, civilem, gessit, præ se ferens contemptum
 titulorum; nam *prænomen* Imperatoris, *cognomenque* Patris Patriæ,
recusavit; ac ne Augusti quidem nomen, quanquam hereditarium,
ullis nisi ad Reges ac Dynastas Epistolis addidit. Non Parentem pa-
triæ appellari, non ullum insignem honorem publice passus est. Et Xi-
 philinus testatus fuit idem his verbis: Οὐτε δεσπότην ἐαυτὸν τοῖς ἐλευ-
 θέροις, ἢ τε αὐτοκράτορα, πλὴν τοῖς στρατιώταις, καλεῖν ἐφίη. τὸ τε τῶ πα-
 τρός τ' Πατρίδος ὀνόματι πάντεώς διεώατο. πρόκειτο δὲ τ' γεγεσίας
 κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἢ θελεν ὀνομάζεσθαι. *Dominus à liberis hominibus, aut Im-*
perator, præterquam à militibus vocari volebat. Patris Patriæ nomen
omnino repudiavit, Princepsque Senatus, ut erat vetus consuetudo,
nominari voluit. Quæ verba extant in Dione lib. 7. pag. 695, 696.
Nolebat salutari Imperator, quamvis id esset Ἰηρισθὲν, decretum; ne-
que adsumere voluit cognomentum Augusti, cujus tamen hæredi-
tatē ceperat. Nimum civilis in appellandis venerandisque singulis ὅ
universis propè excesserat humanitatis modum, teste Suetonio. Per-
civilis Senatores Dominos dixit, eleganti admodum humilitate, se-
que Dominum dici noluit, ridiculo schemate usus, notante Tacito
acerbè eos increpando, qui divinas occupationes ejus ipsumque Do-
minum dixerant; & denuntiabat, ne Dominus contumeliæ causâ
nominaretur, Suet. c. 27. p. 184. Civilitas ista verè incivilis fuit, civi-
litatis simulatione simulachrum gerente Principis sub initia impe-
rii, fraude tegens verborum nequitiam animi. Civilem admodum,
inquit Suetonius, inter initia ac paulò minus quàm privatam egit.
Si quid in sermone, vel in continua oratione blandius de se diceretur, non
dubitabat interpellare ac reprehendere ὅ commutare continuo. Non
tamen ideo faciebat fidem civilis animi, licet de se civilia supra
modum loqueretur, prodente Tacito l. A. 72; malitiam enim ani-
mi occultare non poterat totam, violentius & incivilius agens. De
Nerone similia observata Tacito l. A. 4. num. 1. 2. 3. Quæ propterea
scitè arcanis inanibus accensentur à Clapmario. Arcanum verè
 inane

Sueton.
 c. 26. p.
 183.
 c. 50. p.
 199.

p. 225.

Diol. 57.
 p. 690.

c. 29. p.
 184.
 p. 185.
 2. Ann.
 87. 2.

c. 26. p.
 182.
 c. 27. p.
 183.

6. Arc. 7.

- inane fuit, quo *Senatus majestatem* se servaturum *pristinam* mentiebatur, & magis pronum in se Imperatorem accepturos Senatores, quàm in Augusto. Intellexit hanc scenam Suetonius, scribens: *Quin etiam speciem libertatis quandam induxit, conservatis Senatorum ac Magistratibus & majestate pristina & potestate; neque tam parvum quidquam, neque tam magnum publici privati que negotii fuit, de quo non ad P.C. referretur.* Quem quoque non delectarent speciosè dicta: *In Civitate libera lingua mensque libera esse debet?* Species verè libertatis, quam Suetonius intellexit. Simulacra libertatis Senatui præbebat, ait Tacitus l. A. 77. 2; simulabatque benevolentiam erga Senatum. Cum quidam dixisset, deligendos esse Senatores quosdam, qui armati ingredientem Tiberium in Curiam comitarentur, respondisse per literas fertur: *Non sibi vitam tanti, si armis tegenda foret.* Dictum apparenter prudens, sed simulatum; neque enim hoc ille dixit, quia amari se vellet aut gauderet, qui dictis & factis ac sceleribus suis odia ac metus in se exacerbat omnium maximos, & Senatorum præcipuè, de quo Dio: *εἰ γὰρ εἶτως εὐήθης ἦν, ὥστ' ἀπολοῖς γε κρείνοις, εἰς τε εἰμίσει, καὶ ὑφ' ὧν μάλιστα ἐμισεῖτο, ξίφην δέσναι.* Non ita fatuus Tiberius, ut iis se protegendum daret, gladiosque committeret, quos odisset, & à quibus maxime odio haberetur. Inter partes verò occultas roborandæ Monarchiæ erat, *simulacrum imperii Aristocratici* & τῆς *Ἀριστοκρατίας* imaginem obtendere. Augustus præiverat, Tiberius aliquo modo insequabatur. Quò Leoninâ non perveniri potest, vulpina erat induenda pellis. Eò pertinet speciosa Oratio Tiberii, qua suadet Aristocratiam Romanis. *In civitate, inquit, tot illustribus viris subnixæ, non ad unum omnia deferrent; plures facilius munia Reipublicæ sociatis laboribus exsecuturos.* Univerfo imperio sufficere solum posse neminem, nisi cum altero, vel etiam cum pluribus alio differbat animo quàm ore; hinc ipse partes sibi, quas Senatui liberet, tuendas in Republicâ deposcebat, quando universe sufficere solus nemo posset, nisi cum altero, vel cum pluribus, Suetonio teste. Gratum ut se præstaret Senatui & multitudini, obtendebat priscos mores, cum long' us abessent. *Cuncta, inquit Tacitus, per Consules incipiebat, tanquam veteri Republica, & ambiguus imperandi.* Simius Augusti, utinam pari ingenio. *Ne edictum quidem, quo Patres in Curiam vocabat, nisi Tribunitis*

c. 30. p.
185.c. 28. p.
184.Tacit. 6.
Ann. 2. 5.l. 58. p.
725.

l. A. II. 4.

c. 25. p.
182.R. A. 7.
n. 3.

bunitia potestatis prescriptione posuit sub Augusto accepta. In illa
 verba Boeclerus: Respexit ad novi Principatus schemata, adeoq; gene-
 ratim dixit: Cuncta per Consules incipiebat, apta incipiendi voce,
 que palam aut occulte in Consules rejecta sunt aut transmissa, com-
 plexus. Pari simulationis arte usus est in convocando Senatu, quippe
 ne illud Edictum quidem sive Scriptum, quo Senatores in Curiam vo-
 cabat, aliquo potestatis titulo proposuit, sed nihil aliud prescripsit,
 quam Tiberium Casarem, Tribunitia potestate praeditum, edicere,
 ut Senatus frequens adesset. Clementiae famam aucupabatur initio
 apud Senatum populumque, sed clementia erat simulata; simulator
 enim sciebat initio novi regni utilem esse clementiae famam. Exem-
 plum praebit Dio scribens: Ἐπεὶ τὸ γε ὑβρίδων πρὸς τινος, ἢ καὶ τὸ
 ἠσεβήδων πρὸς τινος, ἢ κίς αὐροσεποιεῖτο. ἔδ' ἔστιν ἠντινα τοιαύτην ἐφ'
 ἑαυτῷ γραφὴν προσεδέξατο, καὶ περὶ τὸν Αὐγύστον καὶ ἐν τούτῳ σεμνύων.
 τὸ μὲν γὰρ πρῶτον, ἔδ' ἐνα τῶν ἐπ' ἐκείνῳ τινὰ ἀίλιαν λαβόντων ἐκόλασε.
 προῖόντ' ἔδ' ἐ τῶν ἄλλων καὶ πάνυ πολλὰ ἐθανάτωσε. Cum ei maledice-
 rent homines, aut contra eum aliquid impiè facerent, minimè curabat,
 nec quenquam ob eam rem accusari patiebatur, in hoc tamen venera-
 tus Augustum; nam principio quidem in eos, qui contra Augustum
 deliquerant, non animadvertit; progrediente tempore de plerisque sup-
 plicium sumpsit. Insigne exemplum suppeditat Tacitus circa suppli-
 cium Prisci, majestatis damnati. Idem Tiberius solitis sibi ambagi-
 bus apud Senatum incusavit; cum extolleret pietatem quantumvis mo-
 dicas principis injurias acriter ulciscantium; deprecaretur tam preci-
 pites verborum poenas; laudaret Lepidum (mitioris sententiae aucto-
 rem) neque Agrippam (qui duriora censuerat) argueret. Quam per-
 plexitatem verborum non satis cepit tum Senatus, frustra que SC.
 fecit, ne decreta patrum ante diem decimum ad aerarium deferrentur;
 idque vite spatium damnatis prorogaretur. Recte enim addit Taci-
 tus: Sed non senatui libertas ad poenitendum erat; neque Tiberius in-
 terjectu temporis mitigabatur. Simulabat inter Senatores pietatem,
 dum ad primum Curiae ingressum Diis supplicat, nam quo primum
 die post excessum Augusti Curiam intravit, quasi pietati simul ac reli-
 gioni satisfacturus, Minois exemplo, thure quidem ac vino, verum
 sine tibicine, supplicavit. Minois exemplum secutus fuit, sed non
 animum justitiae tenacem, nam ille Cretensium Legislator & Rex fer-

Annot. p.
III.

lib. 57. p.
696. &
Xiphil.
p. 225.

3. A. 5. n.
2. 3.

Suet. c.
70. p.
216.



tur justissimus. Sanxerat autem Augustus, ut Senatores ingressi
 Curiam, antequam *consideret quisque, tunc ac mero* supplicarent, te-
 ste Suetonio. Ostentatio quoque erat inanis, quando religionis
 simulatione *Sacerdotibus* honorem exhibebat, sapissimè enim ve-
 niebat ad sacrificia, teste Dione, non solum ut esset inanis sacrarum
 rerum atque cultus divini spectator, sed ut honoraret eos, qui ea
 facerent, tanquam *Deorum ministros*. Quàm autem vacuum reli-
 gione animum gesserit, cum Suetonius nobis aperuit, nam ille:
Circa Deos ac religiones negligentior, quippe addictus Mathema-
ticae, plenusque persuasionis cuncta fato agi. Nec & hic mansit indu-
 bius animus, sicut simulata non durant, nam Mathematici ab eò
 urbe pulsi. *Expulsi, inquit, Mathematicos, sed deprecantibus ac se*
artem desituros promittentibus veniam dedit. Venerabilior ut esset,
 imitatore *Augusti* se simulabat, proque instituto Patris sese age-
 re venditabat. Ipse de se apud Tacitum: *Qui omnia facta dictaque*
eius vice legis observem. Ex animo utinam dixisset, & juxta verba
 Strabonis fecisset! de eo quippe Geographus iste: *Καὶ τὸν ὀδιδάξ-*
ῆσαι μὲν ὁ ὕδρος ἐκείνον (Augustum) παρόντα τῆς διοικήσεως καὶ τῶν ὑπο-
σταμάτων ποιῆσαι. Et nunc filius eius ac successor Augustum pro nor-
 ma administrationis & edictorum proposuit. Sic certè si fecisset, ha-
 buisset optimam conscientiam, optimam famam, maximam auto-
 ritatem. Ne fas habitum Tiberio *infringere dicta Augusti*, Tacitus
 dixit. Suis verò ille consiliis & facinoribus Augusti nudum nomen
 & exemplum obtendere solebat. Quæ in *Sitanum* parabat, quò ex-
 cusatiùs *sub exemplo* acciperentur, libellos *Divi Augusti de Voleso*
Messalla, Asia Proconsule, factumque in eum *Senatusconsultum* re-
 citari jusserat. Civilitas Augusti quanta fuerit, ea in historia di-
 ctū. Incivilitas quanta fuerit Tiberii, constat variis exemplis. Con-
 fecius sibi morum hominibus displicentiam, ut ingenio tibi liceret
 licentiùs uti, conversationes publicas detrectabat, ludos publicos
 nunquam spectabat; quin etiam per duodecim continuos annos
 postremos nunquam in Senatum venit; ubi contrà Augustus per-
 petuò in oculis hominum versabatur; quod & Tacitus observat
 dicens: *Augustus civilebatur misceri voluptatibus Vulgi.* A-
 lia *Tiberio morum via*. Ubi hic toties venditata Augusti imitatio?
 Pulchrum ac decorum fuisse, t magni Augusti vestigiis incessisse, &

Aug. c.
 35. p. 99.

e. 69. p.
 215.

Suet. c.
 36. p. 189.

4. Ann.
 37. 4.
 lib. 6. fin.
 p. 199.

1. A. 77.
 3. & 4.

3. A. 68. 1.

1. Ann.
 54. n. 4.

ad

ad hujus Herois exemplum se suamque vitam formasse; sed quantum ille deflexit, & degeneravit à seipso, non sine insigni fama nota! Promptus aditus ad Augustum, fastidiosus & periculi plenus ad Tiberium. Querelas & desideria sua promebant coram Augusto, non solum patienter audiente sed & invitante; coram Tiberio omnia trepidè, sive bona esset causa, sive mala. Vero animo versabatur Augustus in emendanda & constituenda Republica, quod antea suo loco habuimus; non vero animo versabatur in corrigenda & conservanda disciplina Tiberius, Censor videri volens Magisterque vitæ, ipse censurâ acri dignus. Optasse emendationem publicorum morum aliquando, non tentasse, monet Tacitus, inter accipitiam quasi esset, & qui non posset cuncta; Româ n. nimio luxu diffluente pensitabat apud se, num coerceri tam profuse cupidines possint; quam indecorum atrectare, quod non obtineretur, vel retentum ignominiam aut infamiam Virorum illustrium posceret; diligenter verò istâ deliberatione habitâ reperit, atque Senatui rescripsit, omittenda esse prævalida & adulta vitia, esseque impossibile corrigere ea, que prohibita impune sine metu, sine pudore, commissa sunt. Ita apud eum sceleribus excusationes dantur sihemate assuetudinis & multitudinis, & ita,

Quicquid multis peccatur, inultum est.

Qui nil hîc poterat contra Civitatis totius studium, multa specie gravitatis ac morum corrigendorum (Suetonii verba sunt,) sed naturæ magis obtemperans seve & atrociter facilitavit, unde in eum

Dicitur: Roma perit; regnabit sanguine multo;

Ad regnum quisquis venit ab exilio.

Senatui assidebat judicanti promptâ in speciem veneratione singulari usus artificio demerendi, unde Vellejus: *Cum quanta gravitate, ut Senator & Index, non ut Princeps, & causas pressius audi?* Ei explicando sunt verba Taciti I. A. 75. 1. *Nec Patrum cognitionibus satiatus judicis assidebat in cornu tribunalis, ne Prætores curuli depelleret, multaque eo coram adversus ambitum & potentium preces constituta.* Adjungendus Suetonius: *Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat Consiliarium, assidebatque juxta* (mistim habet Casaubonus) *vel ex adverso in parte primori.* Speciosi hæc animi indicia videbantur, sed erant arcana dominationis

tionis criteria, nam, quod ait Tacitus, *dum veritati consulitur, libertas corrumpatur.* Subtilem vocat & profundam ἐπιχειρῶν Dn. Boeclerus in Vellej. p. 299, quia eadem operâ & sub hoc tuenda justitiæ schemate Tiberius munia Judicum, ut alia pleraque, ad se trahebat, nullaque judiciis libertas, & iudicibus auctoritas manebat. Simulabat personam Judicis incorrupti & immobilis in causa Pisonis, sine miseratione, sine ira, obstinatum se clausumque præbens, ne quo affectu perumpereetur; ait Tacitus, qui multa recludit clusa non cognitionem, sed imaginem cognitionis agnoscit, utpote qui paucis familiarium adhibitis minas accusantium, & ex parte rei preces audit, nullâque sententiâ proposita integram causam ad Senatûm remittit. Idem in causa Libonis immoto vultu libellos & auctores recitat, ita moderans, ne lenire, ne asperare crimina videretur. Sub adorea justitiæ cerni voluit innocens juris administrator, cum apud Tacitum optat: *Deos precor, ut mihi ad finem usque vite quietem & intelligentem humani divinique juris mentem dunt.* Optat religiosus jurisque utriusque esse vindex, quo voto, sed serio, olim Salomon, Rex Judaicus, à Deo precatus est *cor docile, ut populum judicare posset, & discernere inter bonum & malum, & sapientiam ad discernendum iudicium.* Si simulatorem non egisset inter Tribunalia, non optarem meliorem Judicem Tiberio; quis enim non prædicaret, quæ Suetonius tribuit? *Magistratibus pro Tribunali cognoscentibus plerunque se offerebat Consiliarium, assidebatque missim; & si quem reorum elabi gratia (favore aut clementia nimia) rumor esset, subitus aderat, iudicesque aut è plano, aut è Quaestoris tribunali Legum, & religionis, & noxæ, de qua cognoscerent, admonebat, atque etiam, si qua in publicis moribus desidia aut malâ consuetudine labarent, corrigenda suscepit.* Testimonia Taciti & Dionis in hanc rem adfert Casaubonus. Solenni sua versutie Tiberius Lutorii Prisci damnationem & supplicium in nimiam Senatûs severitatem rejicit, solitis sibi ambagibus apud Senatûm incusat, commendans pietatem Senatûs modicus Principis injurias acriter ulciscientium, & deprecans tam precipites verborum panas. Quomodo sceleribus speciem juris prætenderit, Dn. Lentulus tradit. Non difficile est advertere, quantum conniverit *Sejani sceleribus*, qua via quave specie cum Sejano egerit. Simulatione per varia honorum augmenta *Sejanum*

Tacit. 3.

A. 15. 4.

3. A. 17.

6.

2. A. 29. 3.

4. Ann.

38. 4.

1. Reg. 3.

9.

6. 33. P.

187.

ad Suet.

P. 374.

Tac. 3. A.

51. 2.

Aug. p.

155.

janum decepit, statuas publicè æreas ponit, in literis & suum & Se-
 jani nomen conjungit, sacrificia ei fieri permittit, notante Dione,
 cùm tamen jam animo haberet suo illum è medio tollendi; qua a-
 ratione commodè posset ob favorem publicum, nondum invenis-
 set. Quàm omnia ficta & simulata, Sejano Drusum veneno tollente,
 ubi Tiberius animum obfirmat, Senatum *ficto gemitu*, (ni velis,
viecto) *simul oratione continua erexit*, liberos Germanici commen-
 davit suscipiendos atque regendos; mox ad vana totiesque irrifa
 revolutus de reddenda Rep., utque Consules seu quis alius regi-
 men susciperet, 4. Ann. 8. n. 3. 7. c. 9. 2. Nescimus verò quomodo
 moderatior & tectior erga Libonem Drusum Tiberius, quem ex
 astutia quamvis rerum novarum molitionis delatus, *ornat pratura*
convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior, (adeò
iram condiderat) *cunctaque ejus dicta factaque cùm prohibere posset,*
scire malebat. Defertur moliri res novas Libo, quem infelicem
 compendiosè exhibet Lentulus Aul. Tiber Aph. 48. p. 48; aph. 49.
 p. 49; aph. 51. p. 50; aph. 52. p. 51; aph. 56. p. 52; quo habet: *Tiberianum*
est, incautos honorum incremento & familiaritatis usu ferire. Non
 videbimus alias artes Tiberii circa Comitia, quibus expositis sub-
 jungit Tacitus copiosâ brevitate, fuisse ista omnia, quæ Tiberius
 differuisset & instituisset, *speciosa verbis, re inania, aut subdola.* Quæ
 iniquior potuit esse perversitas, & perversior iniquitas, quàm secu-
 ritatem & salutem populi, auctoritatem Senatûs, amorem in cives,
 publicam honestatem, communem felicitatem, præ se ferre, omnia
 interim alia solitis verborum ambagibus agere. Scelerato hoc spiri-
 tu actus proferebat *speciosa verbis, re inania aut subdola;* & quanto
 illa *majoris libertatis imagine tegebantur,* tantò *insensius servitium*
 erat metuendum. Quàm hoc Tiberianum, *verba dare,* quàm hoc
 hodie infixum Tiberianis? Omnia in suspicionem vertebat Ti-
 berius, materiam quamcunque credens huic vitio animi idoneam.
 Si quis lautior & generosior matrimonium inibat illustrius, moli-
 tionem rerum novarum interpretabatur. *Plusquam civilia agita-*
re Asinium Gallum, quod Vipsaniam duxisset, suspicatur. Idem
 inde Sejano, nuptias Livix, Drusi viduæ, scripto petenti, negat
 obliquè, illiusque rationes refellit, 4. Annal. 39. & 40. Sic Agrippi-
 næ, maritum desiderantis, vota silentio, quanquam *instantis,* eludit,

lib. 58. p.

714.

Tacit. 2.

An. 28. 3.

1. A. 81. 5.

1. Ann.

12. 6.

c. 71. p.
216.

non ignarus, quantum è Republica peteretur, 4. Ann. 53, 3. Videamus tandem Simulatorem circa leviora, neque tamen levia. Simulabat sibi placere simplicitatem sermonis Latini absque immixtione extrâ, sed reverà animo suo sentiebat aliud, dumque singulariter amaret Græcorum facundiam, præ se ferebat se animo ferre impatienti, si misceretur vel vocula Graja sermoni Latino, ne in oblectamenti videretur habere exotica, sed ut crederetur se solùm delectari Romani fori verbis & moribus. *Sermone Græco*, ait Suetonius, *quanquam aliàs promptus & facilis, non tamen usquequaque usus est, abstinuitque maximè in Senatu, adeò quidem ut Monopolium nominaturus prius veniam postulârit, quod sibi verbo peregrino utendum esset.* Addit & alterum exemplum de voce *Emblema*, ad quam trepidabat ficto officio oris. *In quodam decreto Patrum*, ait, cum *Εμβλημα* recitaretur, *commutandam censuit vocem, & pro peregrina nostratam requirendam, aut si non reperiretur, vel pluribus, vel per ambitum verborum rem enunciandam.* Quique aliàs plausu excipiebat, cum ei dicerentur verba Græca, *militem Græce testimonium interrogatum, nisi Latine respondere vetuit.* Tanta Tiberio simulationum tenacitas, instar visci, adhærebat, ut non nisi, quod mireris, cum vitâ deponi potuerit. Cùm laboraret, simulabat valetudinem firmam, *in patientia firmitudinem simulans, solitusque eludere Medicorum artes*, 6. Ann. 46. 6; Mortuus quoq; inter dissimulandum; ita enim de illo Tacitus: *iam Tiberium vires & corpus, non dissimulatione deserebant*; 6. A. 50. 1. Morst tandem, sicut separavit animam à corpore, sic separabat dissimulationem atque discutiebat Accisum. Accisus ille deterior, quò occultior; & pejor, quod sub velamine religionis, justitiæ, virtutis, humanitatis palliatus lateret, quo divina & humana omnia involvebat, variis labiis, nomina ore proferentibus speciosa, quæ in corde non inveniebantur, absconditæque & variæ mentis Tiberianæ indicia cum Tacito notari possunt *suspensa, ambigua, obscura, eluctantia, arrogantia verba* 1. A. 11, 5. 1. A. 33, 4. 4. A. 31, 3. & alibi. His jungatur illa *obscuritas animi, qua erga alios omnes adeò obscurus fuit* 4. A. 1, 4, *ut recindi suam mentem, egerime ferret* 4. A. 71, 3. *Perplexitas judicii, quæ variè traxit animum, ut cum nemine, ita neque secum satis concordantem.* Tacitus *anxium judicium* vocat 1. A. 80, 4. Etiam *Morositas judicii,*

judicii, sævum animum indicat; unde angusta & lubrica oratio sub Tiberio, qui libertatem metuebat, adulationem oderat. 2. A. 87, 2. Porro implacabilis ira non omittenda est, & animus revolvens memoriam injuriarum & offensionum, 1. A. 13, 5. 4, 21, 2. Repentina & acerba iracundia apud Suetonium c. 57. 58. p. 204. 205. Item, suspicandi facilitas & assiduitas & acerbitas. 1. A. 13, 4. Secreti amor ac solitudinis 1. A. 4, 4. 4. A. 57, 2. 6. A. 1, 2. unde secretum & silentium tyrannorum formidabile Agr. 22, 6. & 39. 4. Hæc & talia, quamvis obtegentem fui Tiberium, & ante Principatum & in Principatu satis detegebant; hæc idonea sævitia indicia erant, probè notata Boeclero. Lentus erat in consultando Tiberius, & in consiliis arcanus. Illam βραδύτητα populo Romano Augustus Cæsar aperit, dicens διαδοχῶν τῆς ἀρχῆς, successorem imperii se relicturum, qui nunquam eadem de re bis deliberasset, quo ipse eum in consultando lentissimum denotabat, teste Plutarcho in Apophthegmatibus; & quod taciturnitatem consiliorum attinet, testis est Dio percontanti cuidam, cur sua consilia non cum aliorum, qui fidi essent eique non malè vellent, consiliis communicaret, respondit, Principis animum aut nemini aut paucis cognitum (κατάδηλον) esse oportere. Non deerat ei promptitudo in dandis consiliis, licet tardius soleret dare; quæque erant repentina ejus consilia, ea erant meliora quàm meditata, teste Aurelio Victore. Nusquam fuit cunctabundus, nisi cum in Senatu loqueretur, tunc n. verba expendebat, validus sensibus aut consulto ambiguus, teste Tacito. Quis nunc inter Imperatores lentior & occultior Tiberio? In isto tamen simulationis artificio nequivit mentis recessus dissimulare, ut non interdum ore suoque indicio se proderet, ut forex, modo loquendi diverso; fieri enim non potest, ut semper dissimuletur ingenium. Id notavit Tacitus, in rebus à Germanico & Druso gestis versatus; nam ubi de laudibus Germanici: Retulit ad Senatum de rebus gestis, multa que de virtute ejus memoravit, magis in speciem adornata verbis, quàm ut penitus sentire videretur; ibi de Drusi laude: Paucioribus, sed intentior, & fida oratione. Iterum, eundem notans, in aliis, inquit, erat veluti eluctantium verborum; solutius promptiusque loquebatur, quotiens subveniret. Difficile sanè, quod egregius Doctor Baconus ex hoc advertit, reperitur simulationis artifex aliquis, tam peritus & egregius, aut vultus aliquis

in Tacit.
p. 70.

p. 264.
lib. 57. p.
690.

13. A.
3. 5.

1. A. 52. n.
2.

num. 3.

4. A. 31.

n. 3.

8. de

augm.

Scient. 2.

p. 252.

4. An.
52.5.

Arcan.
regn. c.4.
p.83.

aliquis ita coactus, & ut ille loquitur, jussus, qui à sermone artificioso & simulatorio possit istas notas sejungere, quin aut sermo sit solito solutior, aut comptior, aut magis vagus & oberrans, aut magis aridus & quasi eluctans. Ille idem Simulatorum coryphæus, cum ex Agrippinæ verbis aculeatis subito commotus fuisset & non nihil abreptus, extra innatæ simulationis terminos pedem protulit. *Audita hæc*, inquit Historicus, *raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamque græco versu admonuit; ideo ladi, quia non regnaret.* Simulatione tegere ingenium adeò non potuit Tiberius, quin apparuerit interdum remotâ simulationis causâ & occasione. *Diffidentia & Dissimulatione qui callidè moderateque utitur, is, iudicio Lentuli, Viri pragmatici munia implese creditur; qui verò modum in iis excedit, ita ut ipsa subtilitate pelluceant, nec doli astu tegantur, is & omnibus diffidendi, & simulationem simulatione eludendi materiam prebet, nec ullum sincerè amicum, & vera ex animo consulentem invenerit. Incredulitatem comitata simulatio, dum nimis intenditur, apparente ficti vanitate, ludibrium debet.* Optimè optimus Radulfus Ardens Hom. 2. Dom. 8. Trin. f. 225. *Simulator etsi quedam, tamen non potest omnia simulare; & quia quod est simulatum, non est firmum; sicut nec color mutatus; & quia simulatio laceffa detegitur. Qui ergo verè dissimulatorem deprehendere vult, inquiret, non quid palam, sed quid clam faciat vel dicat. Præterea si attentè & assiduè inspicias opera simulationis, paulatim tibi vilescet.* In exemplum malorum dissimulatum sit omni ævo Tiberius, sicut instituit comparisonem inter Tiberium & Olivarium Cromwellium Petrus Schultzius, utriusque simulationes, dissimulationes & scelerata dominandi arcana exponens Dissertatione semel atque iterum editâ. Magna irreverentia Principis fuit Tiberii, non illum erubuisse. Non erubescimus illa vitia Tiberii proferre in apricum, sine simulatione, sed ut res est, unde erubescant Principes mali & Tiberiani; de bonis autem Augustoque similibus Principibus reverentiâ magnâ & sentiendum & loquendum. Tiberiana simulandi & dissimulandi artificia strictim & nervosè contraxit Cyriacus Lentulus de arcan. regnor. c. 5. lic. 9. p. 150. 151. 152; copiosius verò Aulam Tiberianam peculiari opere descripsit, & omnem aperuit scenam, dignus qui legatur

gatur liber, ut ex ea Aula contemplemur ævi varii Aulas simulatrices, ubi aliud agitur, aliud agi persuadetur.

5. Primus Imperatorum imperium prostituit fœdis voluptatum, intemperantiæ, libidinis & ebrietatis studiis; assiduis cædibus, parricidiis, summâque scelerum improbitate Regnum funestat. Capreanæ Insulæ secessu otio nequissimo vacat, omni libidinis & crudelitatis genere se etiam, tanquam in Gymnasio, exercet, Regni curâ abjectâ & in Sejanum translata, Provinciis undique neglectis atque in pace vastatis.

Ostendimus larvatum & fucatum Tiberium; nunc exhibemus exemptâ larvâ veram & sine fictione Tiberii personam. Convertamus itaque stilum, visuri opera lubrici Imperatoris, sed non nihil apertiùs agentis, judicandi nunc conditione faciliori. Non credidimus hæctenus simulatè loquenti; nunc credamus perversè & contra rei Romanæ salutem agenti; quæ autem hîc egit, absint ut agant Imperatores. Scribimus autem & loquimur de vitiis Principum invitissimi; maximè cum sint in Tiberianâ vitâ tam varia vitia, tam immania flagitia, ut vix sine rubore subeant officium interpretâdi. Mira sunt, quæ nuntiant Tacitus, Suetonius, Dio. Elinguis est Vellejus, qui talem rerum Romanarum pestem tacitus spectat, & cum loquitur, adulatur,

tacitam gestans sub pectore Vulpem.

Ab Augusti Cæsaris excessu inertia, ignavia, malitia, tyrannis, Romanum imperium usque ad Vespasianum & Titum, Nervam & Trajanum, quatuor optimos Principes, diversis actibus variisque casibus fœdè contaminavit & debilitavit; ut vitas Tyrannorum, non Principum, historia habeat; nam post mortem Augusti *sub VII.*

F

Impe-

Imperatoribus horridum & inquinatum imperium fuit, omnibusque modis corruptum, ubi non modò legibus scelera, ac præsertim libidines, non coercebantur, sed ab ipsis Imperatoribus in populum pessimis propagabantur exemplis. Primus fuit *Tiberius*, crudele & libidinosum monstrum, quem immanibus sceleribus infecti fuere *Cajus Caligula*, *Claudius*, *Nero*; post quos nobilis in vitiis trias *Galba*, *Otto*, & *Vitellius* tristi lanienâ sese & imperium confecit, & nisi supervenissent *Vespasianus* & *Trajanus*, atque disciplinam morum severioribus legibus coercuissent, actum fuisset de Imperii salute. Imperatores omnes ad *Vitellium*, præcipuè *Cæsarium* genus, ad eò literis atque eloquentiâ exculti fuerunt, ut *nî cunctis vitiis*, Augusto excepto, *nimii fuissent*, tantæ dotes minora flagitia texissent, iudice ipso Aurelio Victore: imò quod ait, *texissent immodica flagitia*. Initia Monarchiæ erant in Augusto gratissima, qui optabat novo, quod unâ cum Julio condiderat, Regno, id quod erat optimum, nempe optimos successores, quorum spectata esset pietas, fides, integritas, modestia, humanitas. In Tiberio cæterisque successoribus, modò recensitis, nil erat frugis, quorum sub arbitrio Reipublicæ erat afflictissimus status. Quæ sub Augusto post discordias civiles *Respublica beatissima*, Eutropio iudice, surrexerat; ea statim ab excessu Augusti oppressâ libertate *mestissima* jacuit, Tiberio vulnus infligente. Miserabilem Romam, quæ sub Augusto magnum nomen adeptâ, sub Tiberio ferri in præcipitium cernitur. Modestè agebat Augustus in regno jam firmato, sedatâque naturâ plebem sibi optimam Optimateque probos conciliabat. Molestè regebat Tiberius, immodestè agebat, per involucra & integumenta non infirmam solum plebem sed & supremi ordinis homines fallebat. Tempora Augusti erant aurea, Tiberii ferrea. Tempora Augusti serena, Tiberii turbida. Scitè & commodè Satyrus illius temporis de hâc tempestatum ac temporum permutatione apud Suetonium:

Vitell. p.
627.

7. Hist. p.
634.

c. 59. p.
206.

*Aurea mutâsti Saturni secula, Cæsar,
In columi nam Te ferrea semper erunt.*

Duo hi versiculi præfagiunt tandiu futurum ferreum seculum, quamdiu incolumis fuerit Tiberius, qui aureû Patris seculû verterat in ferreû suâ improbitate & scelere, gravis admodum & acerbis success-

successor. Quid malis moribus in aula Tiberii provenit uberius? aut cujusnam rei quam impietatis, improbitatis, impuritatis, pravitatis feracior fuit universa Tiberii Aula? Ut hinc illud Plauti sit dicendum:

Trinumm.

I.I.V.8.

mores mali,

*Quasi herba irrigua, succrevere uberrime;**Neque quicquam hinc vile nunc est, nisi mores mali;**Eorum licet jam messem metere maximum.*

Ex Aulâ optima optimi Augusti descendamus in Aulam Tiberii, consiliorum lustremus moderatores, magnamque rerum commutationem mæsti legamus. Tentat alter, ut fallat; juvat alter, ut noceat. Nullius non insidiosus conatus, & sermo. Criminationes multæ, & delationes, & offensiones, & malorum agmen. Nullâ die, nullis horis non metuendum periculum. Præstemus, quod diximus. Ipso in propylæo Aulæ Tiberianæ illud Eutropii occurrit:

Tiberius ingenti socordia Imperium gessit, gravi crudelitate, scelestâ 7. Hist. p. 654.
avaritiâ, turpi libidine. Quid potuit crudelius, quid turpius, ipso in

limine occurrere? Nos quidem hæc considerantes & illud Dionis

emblemata ante oculos accipimus: Οὐθ' ὁ Τιβεῖος τινῶν ἐφείδετο, ἀλλὰ

καὶ πᾶσιν αὐτοῖς καὶ ἀλλήλων ἀπεχρῆτο, ἔτ' ἄλλον βέβαιον φίλον εἶδεν

ἔχεν. Tiberius nemini parcebat, verum omnibus ad omnium pernici-

entiam utebatur, neminem amicum constanter habens. Eodem titulo

malo Suidas novas Regni ædes inscripsit: Τιβεῖος ἐμπλήκτως καὶ

ἀνοήτως τὴν ἀρχὴν διωκόμενος, φοβερᾶ μὲν ὠμότητι, μωρὰ δὲ καὶ ἀδέσμευ-

πλεονεξία, αἰχρᾶ τε ἠδ' ὑπαθεία χρησάμενος. Tiberius temerario

ἄμεντι furore imperium, crudelitate formidabili, avaritia detestanda

ἔ nefaria, turpique luxu administravit. Indicant hæc in limine,

quid agatur in Aulâ augustâ, sive potius Stabulo aut Caulâ impurâ;

quæque hic Eutropius, Dio & Suidas liberè ad nos ferunt oculif-

que subjiciunt, ea Suetonius liberius, quasi ipsâ in Aulâ Ministrum

egisset, qui exempla ad vivum quasi exhibuit in vitiis Tiberianæ

Aulæ depingendis, qui proœmio q. utens Tiberium *Secreti licen-*

tiam ait, nactum, cuncta simul vitia malè diu dissimulata tandem c. 42. p. 193.

profudisse, verbo profundendi primiam licentiam & ubertatem malè

agendi monstrans, quemadmodum verbo erumpendi c. 61. p. 207.

simulationum dolos detegit, quos pectore presserat, dicens: Mox

*in omne crudelitatis genus erupit. Quod ingenium texerat ac velarat, tandem vitiorum exundatione prodiderat; & quidem ordine Suetonii utentes, in vituperio notantur, nimia ejus vini aviditas, propter quam olim Biberius Mero vocabatur joco castrensi cap. 42; deinde Libidines turpes & obscana, capite 43 & duobus sequentibus; tertio Avaritia & tenacitas capite 46 usque ad 50; quarto Odium erga consanguineos & conjunctos, Uxorem videlicet & Matrem, cap. 50 & 51; erga filios, naturalem quidem Drusum; adoptivum Germanicum, cap. 52; erga nurum Agrippinam cap. 53; erga nepotes ex utroque filio cap. 54; quinto Crudelitas erga alios quoscunque, & Amicos præsertim, à cap. 55. usque ad 63; commemoratâ præ cæteris severitate, licet non injusta, adversus Ælium Sejanum, qui tenuibus ortus natalibus ad summam potentiam miris artibus aulicisque calumniis evolaverat; sexto suspicio & diffidentia erga omnes cap. 63. & duobus sequentibus. Quibus omnibus viciis quasi corollarii vicem Convitia & libelli contra eum editi cap. 66. & 67. subjunguntur. In hac loliorum aulicorum segete dum promere vult Suetonius exempla sævitæ, tanta is obruitur copia, ut scribat: *Singillatim crudeliter facta ejus exequi longum est; generatim velut exemplaria sævitæ enumerare sat erit.* Largius Orosius 7.4 p. 579: *Referre singillatim facta ejus, horret animus, pudetque.* Nullus scriptorum Romanorum venit in manus nostras opportunior & familiarior quàm Tacitus, qui nominis sui immemor non est mutus Historicus, sed in brevitate sua uberrimus scriptor vitiorum Tiberianorum, quorum non minor nunc est detestatio, quàm fuerat olim, quum Tiberius metueret officia fidelia Historicorum, ne scriberent, quæ postmodum Tacitus acceperat scribenda. Non ea erat tunc temporis Tiberiani felicitas, ubi ea, quæ velles, sentire, & quæ sentias, liberè scribere aut dicere licuerit. Liberæ non erant linguæ, non liberæ mentes, quales in liberâ Civitate esse debere dixerat, non volebat, quamvis se velle dicat apud Suetoniû. Aliter agebat ac dicebat, nam memores hic sumus, quod idem Suetonius retulit: *Objectum est Poetæ, quod in Tragediâ Agamemnonem probris laceffisset. Objectum & Historico, (Cremutio) quod Brutum Cassiumque ultimos Romanorum dixisset. Animadversum est statim in Autores, scriptaque abolita, quamvis probarentur aliquot ante*
*annos.**

61. p.
208.

6. 28. p.
184.
6. 61 p.
208.

annos, etiam Augusto audiente recitata. Quod olim placuerat Augusto, displicethic Tiberio, cum stilo liberiori non venderetur fumus; offenderat autem Tiberium Poeta, quod sub persona Agamemnonis se tactum suspicaretur. Simili perversitatis exemplo egit cum M. Emilio Scauro; cum enim is Tragœdiam, Atrei nomine inscriptam, composuisset, in qua Tyrannus is è subditis suis quendam, adhibito senario Euripideo, monebat, ἵνα τὴν τῆς κρατῆν τῆς ἀβελτίας φέγη, ut Principis facta etiam minus consulta ferret, ut stultitiam toleraret Principis. Imperator immitis tangi se suspicatus, At ego, inquit, qui Atreum me fecit, Ajacem ipsum facturum sum; utque dicto fidem faceret, ad mortem hominem adegit sibi, instar Ajacis, inferendam. Senarius a. Euripidis in Phœnissis v. 396. est:

Τὰς τῶν κρατῆντων ἀμαθίας φέγειν χρεῶν.

Stultitiam oportet ferre principantium.

Cogita animi mille laves in Tiberio, ubi nescias, quid scribas, quidve agas Principe perverso ex seipso alium similem putante, & ex suo animo metiente alium. Quibusdam, scribit Historicus, custodia traditis non modo scribendi (studendi vulgo) solatium ademptum, sed etiam sermonis & colloquii usus. Quid contigit Cordo Cremutio, quem liberè scribentem sub Augusto memorat Suetonius? Is postulatus criminis, quia in Annalibus Cassium laudasset, Tiberium rectè perstringit, ad Patres conversus: *Suum cuique posteritas rependit; nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii & Bruti, sed etiam mei meminerint*; & quanquam Patres libros per Ædiles cremandos esse censuerint, manserunt occultati & editi, quò magis sordiam eorum irridet Tacitus, qui presenti potentia credunt extingui posse etiam sequentis ævi memoriam; nam contra, subjicit ille, *punitis ingeniis gliscit autoritas, neque aliud externi Reges, aut qui eadem sevitia usi sunt, nisi dedecus sibi, illis gloriam peperere*. Majus certè dedecus sibi Tiberius attraxit, quò dedecora imperii sui subtrahere voluit industriæ scribentium, indeque major est gloria Taciti similibusque, quò fuerat difficilior & periculosior scriptio. Mali Principes vellent omnes, non esse Historicos, ne vulgarent vitia Aulæ suis scriptis, in quo erat numero Tiberius, qui eò stolidior, quod nec Deos superesse, nec Vates tutos esse voluerit, ut impune

Diol. 58.
p. 730.

Suet. c. 61.
p. 209.
c. 35. p. 98.

Tacit. 4.
An. 34. 1.

c. 35. 5.

4.63.p.
211.

Paneg. ad
Traj.p.
40.

4. Ann.
30.5.
c.61.p.
208.

perpetraret scelera; & ut ne præviderentur, aut prædicerentur, aut dicerentur facinora improba, nam de eo Suetonius: *Quam inter hæc (scelera) non modo invisus ac detestabilis, sed prætrepidus quoque atque etiam contumeliis obnoxius vixerit, multa indicia sunt. Haruspices secretò, ac sine testibus, consuli vetuit. Vicina verò Urbi Oracula etiam disjicere conatus est; sed majestate Prænestinarum sortium territus destitit.* Grave sic erat audire veritatē ex Oraculis, vel Aruspicibus & Mathematicis, vel Historicis, quòd cupiebat & facilè admittebat Augustus, suffragio omnium benignus & probus Princeps, firmum præsidium regni. De te verò, Tiberi, eximiè dixerimus, te inter malos Principes Romanos esse Choragum, ut de te idem sit testimonium, quod Plinius de *μικρὸν δρόπον* reliquit: *In communi domo immanissima belua, velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lambebat, nunc se ad clarissimorum civium strages cadēque proferebat. Obversabantur foribus horror & mina, & par metus admissis & exclusis. Ad hæc ipse occursum quoque visuque terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, fæmineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. Non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras semper secretumque captantem, nec unquam ex solitudine suâ prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret.* Quantum, quantum mutatus ab Augusto, quo viso omne genus hominum lætabatur & gaudebat. Admittebat ille bonos omnes, magnoque honore dignabatur; excludebat malos. Quò major adhuc apud Magnates gloria Augusti, eò pejor memoria tua, Tiberi, inter omnes Principes, etiam malos, quos efferata tua licentia pudefacit. Dolo ostium plenum fuit, & sub lingua fallaci latuit venenum. Sedisti in insidiis, ut interficeres innocentem. Adhibuisti in fœdum ministerium Delatores, Adulatores, Sycophantas, omneque genus improborum. Aluit Aula tua Scurras & Adulatores, ut concinnatores tyrannidis, ut falsos & mendaces testes contra Viros veraces, quorum libertas ferri non poterat. Quanta verò libertas Delatorum? *Delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coercitum, per præmia eliciebantur, teste Tacito.* Patulas aures præbuiisti Accusatoribus & Delatoribus, qui pro libidine animi agebant, spe præmiorum incitati. *De greta, inquit de te Suetonius, Accusatoribus præcipua præmia; nonnunquam*

nunquam & Testibus. Nemini Delatorum fides abrogata. Omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum. Audi, quid Tacitus ajat: Non Tiberius, non accusatores fatiscabant. Audi facinus majoris abollæ. Non Delatoribus solum aures præbuit, sed & Astrologis, multosque indagata illorum nativitate, si quid excellens vel imperium concernens inveniret, occidit; Galbam tamen Imp. futurum occidere non potuit. Inter monita Mecænatis ad Augustum erat, non omnia statim esse credenda, quæ referantur ab Exploratoribus, Aufcultatoribus & Delatoribus, (minimè ab Astrologis) sed diligentem esse adhibendam considerationem; ἄλλοι γὰρ, αἰτ, χαρίζομενοι τισίν, ἄλλοι χεῖματα αἰτήσαντες τινὰς, καὶ μὴ λαβόντες, ἐπιχερὲς ἀζύβειν αὐτοῖς ὡς νεώτεροι εἰζόντας, ἢ καὶ ἄλλο τι ἀνεπιτήδειον κατὰ τὴν αὐταρχεῖν ἢ φρονέοντας ἢ λέγοντας, alii n. vel odio aliorum, vel eorum bona sibi petentes, vel in gratiam quorundam, vel irati ob postulatam ab aliis ac non acceptam pecuniam falso crimine seditionis tentate, aut contra Imperatorem alicujus facti vel dicti improbi eos onerant. In Aula id Tiberiana fiebat, quam quò examines attentius, eò majori illud abs te fastidio fiet. Nil erat tutum, sive jocareris, sive cautè loquereris, sive aliud faceres. Nil erat tam ingenuè dictum, nihil tam candidè scriptum, quod non rabies Tiberii, aut adulatorum malitia, secius interpretaretur. Perierant homines, antequam dicerent, & vel nutus aut risus erat Tyranno suspectus. Sub Tiberio Cesare, ait gravissimus Seneca, fuit accusandi frequens & penè publica rabies, quæ omni civili bello gravius rogatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium; nihil erat tutum; omnis saviendi placebat occasio. Nec jam reorum expectabatur eventus, cum esset unus. Non sic edoctus fuerat Tiberius in aula Augusti Patris, ubi ad jocum & humanitatem libera erat lingua; unde Seneca subjecto exemplo Pauli Prætorii, cui periculofum fuerat digitum annulo Tiberianæ imaginis ornatum matulæ admovisse, ex aula Tiberii in domum Augusti delabitur, ajens: Sub divo Augusto nondum hominibus verba sua periculofa erant, jam molesta. In sinulatus fuerat Granius Marcellus, quod sinistros habuerit de Tiberio sermones. Hoc, inquit Tacitus, inevitabile erat crimen, cum ex moribus Principis fœdissima quæque deligeret accusator, objectaretque reo, nam, quia vera erant, etiam dicta credebantur.

*Dio l. 52.
p. 706.*

*Dio lib.
52. p. 562.*

*3. de Be-
nef. 26.
p. 423.*

I. 474. 3

Contra

Aul. Tib.
l. 6. n. 41.
p. 450.

Annal. 6.
23.1. & 3.

Dio l. 58.
p. 714.

Tacit. I.
A. 13.1.

II. An.
6.4.
I. An.
13.1.

Contrà Augustus veri cupidus, qui mortuo Varo ingemuisse dicitur, quòd jam, à quo verum audiret, nemo superesset, quod notat exemplum Dn. Lentulus, cum agit de Veritatis in Aula caritate. Dum in tenebris adhuc mens Tiberii nondum perspiceretur, boni Viri non satis attenderunt, quid loquerentur. Simpliciori oratione Asinius Gallus, L. Arruntius, Hatterius & Mamercus Scaurus pronum suspicionibus Tiberii animum irritaverant. Dixerat Hatterius: *Quousque patieris Cesar non adesse caput Reipublicæ?* Offendi se simulabat Princeps, quod *caput Reipublicæ* nominaretur, cum desideraret esse tanquam unus è multis. Ô inanem umbram! Quæ erat crudelitate maxima, coegerat *fame & ciborum defectu emori, Asinium Gallum & Drusum, Germanici Filium.* De utroque Corn. Tacitus: *Asinii Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum haud dubium, sponte vel necessitate, incertum habebatur. Drusus deinde exstinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo è cubili tomento, nonnum ad diem detinisset.* Galli casum exponit Tacitus 6. Ann. 23.1, 2; & copiosius Dio lib. 58. p. 713, 729. Unus hic erat ex numero eorum, quem propter egregium animum & fidem diligere debuisset Princeps, sed variis ille doloribus afflictus tandem privatur vita. Syriacum *ἔτ' ἀδικήσεντα τι, ἔτ' αἰτία δέντα, nullius criminis neque reum neque accusatum*, jugulavit, non alia de causa, quàm quod Galli amicus fuisset. Tyrannis malisque Regibus boni quàm mali suspectiores sunt. Exemplum in Arruntio, Viro claro, quem Tiberius nullam ob culpam, sed quia dives, promptus, artibus egregiis & pari publicè fama erat, suspectabat, cujus quis post varia ludibria exitus fuerit, Tacitus 6. A. 47, 48; Dio lib. 58. p. 732, docent. Qui fidelis permanerat L. Arruntius, qui que *incorrupta vita & facundia ad summa provectus* fuerat, quod magnum est de eo Taciti elogium, odio habetur, sicut idem antea Asinio Gallo acciderat, licet nullæ adessent odii & irarum causæ. Tiberio, ait Tacitus, *nulla vetus in Arruntium ira; sed divitem, promptum, artibus egregiis, & pari fama publicè, suspectabat.* Quæ probi Regis aliàs conciliant animum dona, ea averfatur & suspecta habet pessimus Rex more ingenii sui. Sedulo in id incubuit, ut illi, qui valerent antiqua virtute, sub aliquo prætextu possent è medio tolli. Dicitur à Tacito non veteri odio *Arruntius à Tiberio fuisse habitus hostis, se d quia prom-*
tus

tus artibus egregiis & pari famâ publicè suspectatus. Quosdam quippe nominaverat Augustus, cum supremis sermonibus tractaret, *quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent, aut impares vellent, vellent, vel iidem possent, cuperentque*, & hi omnes, excepto Lepido, variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt. Pessima Aula, ubi plus valuit iniquitas Judicis, quam conscientia judicandi; ubi plus potuit testis falsus, quam innocentis causa. Innocens in Aulâ Principis boni non timet, ne malè judicetur; sed hîc timet, cum judicatur. Nemo hic securus sub corrupto Judice & tortuoso Principe. Non conscientia in pectore; nulla verecundia in fronte; nullus rubor ob crimen, nulla integritas in cognitionibus & judiciis. Formidolosa circumstrepunt omnia, vel potius non circumstrepunt, sed circumsilent, ut ita dicamus, nam Tiberius latebat, dilator silebat, & quantò magis silentia pericula, tantò magis erant formidolosa. Circumstabat delator, latet hostis, ducitur miser ubique, damnatur, qui posset liberari, ad supplicium rapitur, lætatur Imperator, qui ad hoc exigit lethum, ut liberet se metu; ad hoc damnat virtute innocentem, ne noceat suis vitiis. Ubi tunc Patroni Justitiæ, ubi cognitiones, ubi ille, qui semetipsum Judiciis inferebat, ut jus exactius diceretur? Ore proprio se jam condemnat Princeps, se fuisse Simulatorem, & quidem *παραγορ.* Cædem parat, & simulat innocentiam. Occidit, & æquitatem simulat. Interficat, ut non ipse judicetur. Totum facit, & nihil fecisse vult videri. Agrippæ cæde quid simulatum sit, aliquoties dictum. Parum hoc fuit, nisi per apparitores potestatis suæ malignos immatoria faceret. Fallit, ut feriat; occidit, & non occidit simulator, eò magis reus. *Simulata innocentia, non est innocentia; simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia & iniquitas est & simulatio,* sententiâ Augustini. Quem laterent venenatæ sagittæ istiusmodi, licet absconditæ! Dolis & insidiis variis arcum intendit sagittasque emittit, quæ prius bonos percusserant, quàm prævideri ictus & vulnera possent. Hocne est judicare populos in æquitate? Initio maluit videri quàm esse probus Judex, interque in tîa & rudimenta occultabat se quàm poterat occultissimè; ubi verò recessit metus, & abessent, quæ verebatur, sui pectoris patefecit arcanum, adesse sibi liberum tempus agendi quæ vellet advertens. Sævam & lentam

G

natu-

in Psalm.

63.col.

650.

1. An. 4.
n. 1. 2. 3.
4. 5.

naturam, quam in pueritiâ observârat, Præceptor, jam in aprico exponit, postquam diu latitasset, & simulatio cessasset esse dissimulatio. Non imponebant præfagia, quæ audiebantur vivo adhuc Augusto, sub quo firmissimo imperio obedientes gaudebant. Audi suppiria, audi consilia multorum, cum Reipublic. Status vertitur, apud Tacitum: *Nihil usquam prisca & integri moris; omnis exuta equalitate jussu Principis aspectare, nulla in presens formidine, dum Augustus etate validus, seque & domum & pacem sustentavit. Postquam provecta jam senectute, agro & corpore fatigabatur, aderatque finis & spes nova; pauci bona libertatis incassum differere plures bellum pavescere; alii cupere; pars multo maxima imminentes dominos, variis rumoribus differebant. Trucem Agrippam & ignominia accensum, non etate, neque rerum experientia tanta mole parem. Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello; sed vetere atque insita Claudie familie superbia, multa indicia sævitie, quanquam premantur, erumpere. Hunc & præma ab infantia eductum in domo regnatricis; congestos juveni consulatus, triumphos; ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliquid quam iram & simulatorem & secretas libidines meditatum. Accedere Matrem muliebris impotentia; serviendum femine, duobusque insuper adolescentibus, qui Remp. interim premant, quandoque distrabant. Sic nempe*

Ante diem Populus prolem suspectat avitam.

Naturâ acer, & in iracundiâ inexorabilis & implacabilis, siue ingenio & arte uterentur, siue precibus homines. Non Julii Cæsaris, non Augusti, commendatissimorum à comitate & mansuetudine Imperatorum, sequebatur mentem, qui non facile ad iram se abstrahisinebant, & faciles erant ad iram ponendam. Contrarius profusus Tiberius, vehemens & durus, & ad omnia difficilimus, Tacitus 1. A. 7. 8; c. 12. 6; c. 13, 7; c. 69, 6; 2. A. 28, 3; 3. A. 51, 3; c. 64, 2; 6. A. 50. 4; Sueton. c. 37. p. 190; Dio lib. 58. p. 622, 623, 624. Quod de Domitiano dicitur fuisse non solum magna sed & callide inopinataque sævitie, id Tiberio simul tribuendum. Character ingenii tyrannici notabilis in Tiberio *Ira implacabilis*, quæ interjectu temporis mitigari non poterat, teste Tacito; quæque ira desinebat in sævitiam, adeoque ira vere tyrannica, cujus sedem & originem in pravitate & perplexitate indolis Tiberianæ quarendam esse docet Boecler-

Suet. c. II.
p. 464.
3. A. 51.
in Tacit.
p. 252.

rus.

rius. Octo annorum intervallum deluere non poterat odium erga Vibium Serenum, qui *quædam contumacius scripserat, quàm tutum apud aures superbas*, ne quidem exilio viri lenitus, Tacit. 4. Ann. 29. Sensit hunc animum contumacem cæde exhausta domus Sejani, de quo Tacitus: *Non Tiberium, quanquam triennio post cadem* 6. A. 38. 2. *Sejani, quæ ceteros mollire solent, tempus, preces, fatias mitigabant; quin incerta vel abolita pro gravissimis puniret.* Implacabili iræ erat conjuncta effervescens in sanguine & è sanguine superbia. Si in ferociam Tiberii, quæ in furculo hoc Claudianæ familiæ suc crevit, altiùs iudicium ferre placet, tribui solet Claudiæ stirpi *superbia*, Tacit. 1. A. 4. 3. quam totam sibi vindicavit Tiberius, & ad pristinam multum adjunxit. In verborum suspensione animum dum abscondit, offerunt sese stricturæ impudentis superbiæ ferocientisque mentis; qui enim ambiguis tyranni dictis facile credebat, ferò se fuisse deceptum ingenti damno discebat. Caligo amphibologiæ multos perdidit, priusquam discerent, & erat simplicitas ac credulitas nociva, apud ingeniosum in tyrannidem Tyrannum, cujus Tyrannidis exempla crudelia nunc notanda. Tyrannorum est indoles quasi peculiaris, cædes Necessariis & Propinquis intentare, & in propriam sævire domum. Inter testimonia sævissimi Tiberii Suetonius primo memorat loco illa odia & cædes Necessariorum, à cap. 50. usque ad 55. Non pepercit Liviæ Matri, cujus unius beneficio & ambitu, ut vocat Tacitus, *senili adoptione irreplerat*; hincque favorem Augusti & regnum acceperat. Non pepercit familiæ, non Necessitudinibus. Machinabatur consilia perdendi varia, terribilis in consiliis; etiam erga proprium sanguinem. *Odiū adversus necessitudines in Druso primum Fratre detexit*, ait Suetonius. Quid in Juliam uxorem *per speciem publici juris* (verba sunt Suetonii); quid in Matrem, Filium, Nurum, Nepotes, Veteres Amicos, Familiæ & Convictores indignè egerit, egregiè narrat Suetonius c. 50. 51, 52, 53, 54, 55, 56. p. 198. seqq. *Nurum ac Nepotes*, ait Suetonius, *nunquam aliter post damnationem quàm catenatos, obsutâque* (alii libri, *obsitâque*) *lecticâ, loco movit, prohibitis per militem obvius ac Viatoribus respicere usquam vel consistere.* Simulabat Tiberius amorem erga Germanici Filios natu maximos *Neronem & Drusum*, commendans eos Senatui, quem quum vota suscepisse pro salute

TIBERIVS.

52

Suet. Tib.

c. 54. P.

203.

p. 202.

eorum comperisset, tunc verò patefacta interiore animi sui notâ id effecit dolo & fraude, ut judicarentur hostes fameque necarentur. Is eos Fratres accusarat per literas, probris etiam congestis, iudicatosque hostes, illum quidem in Insulâ Pontîâ, hunc in imâ parte palatii, necant fame, sicuti notavit cap. 54 Suetonius, idque repetit in vita Caligulæ c. 8. p. 226: *Neronem & Drusum Senatus, Tiberio criminante, hostes iudicavit.* Nurum Agrippinam post mortem Germanici, Filii adoptivi, multis affecit injuriis, tandem etiam mori coegit. Id Seneca Octaviâ v. 920. his tradit versibus:

Tu mihi primum

(liberorum novem mater,

Suet.

Calig.

*Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippæ, nurus Augusti,
Cæsaris (Germanici) uxor, cujus nomen
Clarum toto fulsit in orbe;
Utero toties enixa gravi
Pignora pacis; mox exilium,
Verbera, sævas passa catenas,
Funera, luctus, tandem lethum,
Cruciata diu.*

Suet. c.

62. p. 210.

c. 61. p.

209.

de Re-

Scelestus ille structor cædium, ut esset nova copia crudelitatis, excogitavit varia tormentorum genera, eaque exquisita; excogitaverat autem inter genera cruciatus etiam, ut largâ meri portione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis fidiularum simul urineque tormento distenderet. Quis ita Principum omnem prorsus exiit humanitatem, ut in hominum carnificinis ipse sibi veluti delicias faceret? Quis ita Principum delectationem quæsit in crudelitate, ut tarda ad mortem supplicia amaret? Inter sævitæ genera erat distulisse supplicium, nam cum in cumulo calamitatum exitus celer optetur, ille jubebat morari, quò animus magis torqueretur. Verba de tortore hoc sunt: *Mori volentibus, vis adhibita vivendi; nam mortem adeò leve supplicium putabat, ut cum audisset unum ex reis, Carvilium nomine, anticipasse eam exclamaverit: Carvilius me evasit. Afflictis afflictionem addidit morâ calamitatis, beneficium putans, si supplicium maturaretur; quem tyrannorum morem docet Seneca: Nihil æquè amarum, quam diu pendere. Acerrima crude-*

U140

litas est, quae trahit pœnam, & misericordia genus est, citò occidere, quia tormentum ultimum finem sui secum affert; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est. Itaque Tyrannus iste diu prius cruciatus morti tandem tradidit, nec putabat mortem, nisi longâ antè torqueri morâ; unde agebat Carvulium *evafisse*; *Evafisse* sc. & liberum jam esse à morte, qui tormentis gravioribus erat destinatus. Præsigni crudelitate gratiam deferri putabat, si cui maturior mors decernatur; sicuti in recognoscendis custodiis precanti cuidam pœnæ maturitatem respondit: *Nondum tecum in gratiam redii*; moris n. habebat damnatos ante mortem prius exquisitis tormentis concerpere. Pari atrocitate scelestus scelesti nominis successor Caligula non temere in quenquam nisi crebris & minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque jam præcepto: *Ita feri, ut se mori sentiat.* Caligula is crudelitatem Tiberii, quam debebat detestari, excusabat defendebatque, tanquam necesse fuisset ita timeri, cum tot fuissent criminatores delatoresque, quorum confensui fides habenda fuisset. *Defensa Tiberii sævitia*, inquit Suetonius, *quasi necessaria, cum tot criminantibus credendum esset.* Oratione publicè perstrinxerat Cæsar vitia Tiberii, Dione memorante, ipse intus scatens vitiis. Postmodum mutatus Tiberii prætextu quosdam punivit morte, Tiberiique sævitiam Senatus morositati tribuit, eodem docente. Sciebant Tyranni isti, quod Chorus ait ad Creontem, in vario luctu domus cupiditatem esse sine morâ mori,

Βράχιστα γὰρ κατὰ τὰν ποσὶν κακῶν.

Urgentibus malis, celeritas optima est.

Et quod Lycus ille Thebanus apud Senecam Hercule furente v. 513 dicit:

Miserum veta perire, felicem jube.

Supplicia tunc tam erant crebra, ut diebus profestis festi jungerentur, ne deesset tempus, nec ullus dies, ne quidem religiosus, abiret pœnis exercendis, nunquam deficiente materia, aut tempore, cum aliâs diebus sacris à pœnâ quiescere solitum esset. Saturnaliorum dies, quia erant festi, *iisdem pœnas à nocente exigere, piaculare erat*, teste Macrobio i. Saturn. 10. p. 284. Quò magis accusandus Tiberius novæ crudelitatis, quod ne *religiosos quidem dies à pœna hominum*

nes. 5. p.

392.

Suet. c.

30. p. 284.

c. 30. p.

249.

lib. 59. p.

739.

208.

Suet. 61.
p. 208.

1. 58. p.

720.

5. A. 9. 3.

c. 61 p.
208.

3. A. 38. 1.

Tacit. 1.
A. 73. 3. 5.

c. 58. p.

205.

in Tiber.

p. 57.

num cessare fuerit passus. Nullus ait Suetonius, à penâ hominum cessavit dies, ne religiosus quidem ac sacer. Animadversum in quosdam ineunte novo anno. Dies festos non temerabant reorum suppliciiis Romani; uti n. dies Numini sacri causarum omnium criminalium dabant vacationem l. 2. l. 3. l. 6. l. 7. lib. 3. tit. 12. C. de feriis feriatis sacrive diebus nocentes plectere vetitum; hinc illud Taciti 4. Annal. conquerentis inter sacra vota que induci laqueos. Quantæ etiam crudelitatis fuit, quod quæ hostis hosti præstaret, ille abnueret. Ea inhumanitate interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent. Ut hæc fuerunt lugenda, ita, quæ sequuntur, horrenda. Quanta crudelitas, qua voluit immaturas Virgines strangulari, qua voluit easdem à carnifice prius vitari? Ad Virginis strangulationem viam decreto suo ipse stravit per ejusdem stuprationem, quum salvo more patriæ aliter eò pervenire non posset; obstabat n. mos patrius, quo nefas erat. Virgines in carcere strangulari; nam Dio: Οὐκ ὀσιον ὄν παρ' θεοῦ ἐμὴν τινα ἐν τῷ θεομωτηρίῳ ἀπολέσθαι. Impium erat Virginem in carcere perire. Tacitus: *Triumvirali supplicio affici Virginem, inauditum habebatur.* Εὐρημα astutum Tiberii fuit, ut Virgines prius vitarentur, ne mori patrio videretur obstare, quo de Suetonius: *Immatura puella, quia more traditio nefas esset Virgines strangulari, vitata prius à carnifice, dein strangulata sunt.* Eadem ferocia, ut impietatis cumulum faceret, crescebat etiam numerus cæsorum prætextu Legis, quam *Majestatis læsa* dixerant, essetque tum, quod ait Tacitus, *Majestatis crimen omnium accusationum complementum*, ut in crimen, qui crimine vacabant, producerentur. Consultante Tyranno cum Pompejo Macro Prætoře, an *judicia Majestatis redderentur*, exercendas esse Leges ille respondit, & accusati fuerunt ob vilissima, qui statuam Augusti mancipassent, & perjurio violassent nomen illius. Consultante Prætoře, scribit Suetonius, an *judicia Majestatis cogi juberet*, exercendas esse Leges respondit, & atrocissimè exercuit. *Maxima seviendi materies* (scribit Boeclerus) è crimine *Majestatis quæsita est.* Ut demeteret, quidquid erat eminentium capitum, ut reliquias generosi sanguinis suæ dominationi immolaret, ut erectos & ingenuos parumque serviles hominum spiritus deprimeret ac contunderet, speciosissimo Majestatis nomine omne nocendi artificium prætexuit. Venerabile ab antiquo nomen *Judicio.*

dicioꝝ Majestatis; sed hinc novo more sanctissimum nomen tyrannicæ libidini serviebat, ut Majestatis postularentur, quicunque minimo facto dictove dignitatem Principis defuncti aut viventis violasse viderentur. Læsa Majestatis Crimen non verbis, sed factis committitur; & secundum leges facta hinc puniebantur, non verba. Videatur L. unica lib. 9. tit. 7. C. si quis Imp. maled. De Tiberii verò jussu diverso Tacitus: *Legem Majestatis reduxerat, cui nomen apud Veteres idem; sed alia in judicium veniebant, si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta Republica Majestatem Pop. Rom. minuisse, facta arguebantur, dicta impune erant.* Expressè Isidorus Pelusiota 4. Epist. 85. p. 459. *Οἱ ἐξωθεν Νομοθέται καὶ ἀπὸ ῥημάτων, ἀλλὰ ἀπὸ πραγμάτων τὰς ἐπὶ καθοσιώσῃ κεινομένους κολάζουσι.* *Legislatores, qui sunt extra Ecclesiam, in eos, qui judicium imminuta Majestatis subeunt, non ob verba & dicta, sed ob facta animadvertunt.* Legem hanc Majestatis ad dicta, quæ antea impune erant sub Augusto, ampliavit ad derisum usque, & ad inania. Crimen Majestatis læsa & ut veteres loquebantur, *imminuta proximum sacrilegio crimen æstimabatur*, l. 3. lib. 19. tit. 29. C. de crimin. sacrileg. Græcè Justiniano in Novellis dicitur καθοσιώσεως ἐγκλημα, transferturque τὸ ὅσιον, *sanctum vel sacrum*, ad personas majestate & veneratione plenas, quales erant Augusti Imperatores, Julius Cæsar, qui Dictator legem, à se dictam *Juliam*, tulit de vi & majestate, ejusque læsæ pœnâ. Fuit a. hæc lex Julia Cæsaris tralatitia ex lege Cornelia Majestatis, quam tulerat Cornelius Sulla, uti indicat Cicero Orat. in Pisonem. Lex ea Julia Tiberio imperitante severissimè, etiam rebus in levissimis, exercita fuit; is enim, ut & ejus aliquot successores, tot & tam leves species ad hanc legem Majestatis retulère, ut solus defuisse videatur prætextus ad crudelitatem, prout loquitur Contius Comm. ad leg. Jul. p. 26, ubi vide exempla. Rideliculus sanè est majestatis damnari eum, qui annulum, cui insculpta erat effigies Cæsaris, intulerat latrinæ. Quæ sub Claudio, Nerone, Domitiano, hujus legis specie crudeliter admissa sunt, obvia sunt, sed horrenda lectu. Non fatiatus his Majestatis dehonestamentis Tiberius, ostentavit etiam animi dedecus horrendis Rapinarum per cædes exemplis, etiam Suetonio & Tacito notatis. Procedente tempore, ait Suetonius, *etiam ad rapinas convertit animum. Sat constat,*

1. Ann.
72.3.

Suet. c. 58.
p. 205.

c. 49. p.
189.

stat,

stat, Cn. Lentulum augurem, cui census maximus fuerit, metu & angore ad fastidium vitæ ab eo actum, & ut ne quo nisi ipso herede moreretur. Alia ibi legenda; & exempla aliquot illustria Avaritiæ, cuius gratiâ innocentes & bonæ integritatis viros damnaverat & interfecerat, notat Fulgosus 9. Exempl. 2. p. 1192, 1193, qui antea capite primo è sceleratissimis Imperatoribus Tiberium meritò designârat, de quo, ut permulta sileam (scribit) scelerum magnitudo pudorisque meratio movet; adeò enim fœda nefandaque in eo plurima sunt, ut vel commemorando tantùm, veluti per contagium, insicere scribentem possint. Itaque ex tanta eorum copia, notiora tantùm deligenda, ex quibus facile eorum magnitudo, quæ prætereuntur, intelligi poterit. Idem & nos cum optimo Viro, doctrinâ quondam & prudentiâ inter Genuenses summo, sentimus, cumque eodem crudelia illa atque atrocia facta Dei iudicio tribuimus. Exploratâ passim implacabili sævitia Tyranni αὐτοχρησία plurimi mortem anticipabant, certi damnationis; ideo citati ad causam dicendam, partim se domi vulneraverunt, ad vexationem ignominiamque vitandam; partim in media Curia venenum hauserunt; & tamen colligatis vulneribus ac semianimes palpitantesque in carcerem rapti. Tristis illa & nimium severa crudelitas conjecit plurimos in exitium, sive manu carnificis, sive ipsa manu miserorum, qui miseræ temporum pertæsi sibi ipsis manus injecerant. Avertit à se omnes bonos severitas crudelis Tyranni, qui impressum semel in crudelitatis furore vestigium revocare non potuit, nec voluit. Nescimus autem, unde plus tædii à recensione crudelitatis an libidinis adveniat. Utraque continua, nec intermissa. Congeremus hujus libidinis nunc aliquot exempla, ut noscamus oblectamenta fœdissima Aulæ inculto ditæ. Εκ τῶν ἐρώτων, (ait Dio) οἷς ἀναίδην καὶ τῶν εὐγενεστάτων καὶ ἀρρένων καὶ θηλειῶν ὁμοίως ἐχρῆτο, διελάμετο. Ob libidines, quibus promiscuè in nobilissimos utriusque sexus ferebatur, malè audiebat. Inter fœditates libidinis erat nullum tam detestabile, quod ille non sequeretur, imò indagaret & quæreret. Libidinibus adeò indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret, nec formam tantum & decora corpora, sed in his modètam pueritiam, in aliis imagines majorum, incitamentum cupidinis habebat. Tuncque primum ignota ante vocabula reperta sunt, sellariorum & spintriarum, ex fœditate loci ac multi-

plici

pag. 1139.

p. 1160.

Suet. c.

61. p. 209.

lib. 58. p.

728.

Tacit. 6.

A. 1. 3.

plici patientia, prepositique servi, qui quærerent, pertraherent, dona in promptos, minas adversum abnuentes. Sed monstra hæc libidinum ad Capreas releganda potius sunt, quàm inde proferenda. Petulcus Imperator, prosperitate fulget, delitiis abundat, in pace vivit, sed quid agit in illa abundantia? Quid potuit facere? Pecuniam eripere, expoliare, proscribere, in exilium mittere, doloribus tormentisque cruciare, occidere. Nunquid amplius? Inebriare se vino, quum se inebriasset sanguine. Vitia hæc ei familiaria fuere, aut sanguinem, aut vinum effundere; non minus vino quàm sanguine temulento, vicissitudine misera. Non solum Vini sed & sanguinis humani sitientissimum traduxit distichon:

Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem;

Tam bibit hunc avidè, quàm bibit ante merum.

Libidinis fomitem *Ebrietatem* scimus esse. Si quem voluit convivatorem Imperator habere jocundum, plus bibacem quàm voracem fuisse oportuit. Inter libidines & spumantes pateras jocunditas mensæ quærebat; interque facinora levitatis erat *ἀσούρια*, proterviâ luxus tantâ, ut ebrietati ponere præmia ausus fuerit maxima. Excubias ipse in vino agit, & cum eo excubias agentes ditat. Duos *ἀγέουκς* & adultores summos habuit Aula hæc æquissima *Pomponium Flaccum* & *Lucium Pisonem*, qui omnibus cupiditatibus Tiberianis poterant lenocinari, unde illos Princeps *omnium horarum amicos* appellabat; inhonesto facto commotus, cum unâ cum Principe suo *noctem continuumque biduum epulando potandoque consumsissent*, quo nomine illi *Comedones* & *Bibones* egregii dignitates etiam meruerunt, strenuos enim hos viros evexit ad munia amplissima, & quidem *Pomp. Flacco Syriam Provinciam*, *Pisoni Prefecturam urbis* dedit. Egregia præmiorum ratio, quæ tum danti, tum accipienti indignitatem affert & ignominiam! De hoc contubernio madido Seneca: *L. Piso, urbis custos, ebrius ex quo semel factus fuit, majorem partem noctis in convivio exigebat. Huic Tiberius, proficiscens in Campaniam, dedit secreta mandata, cum multa in Urbe & suspecta relinqueret & invisa, puto quia illi bene cesserat Pisonis ebrietas. Postea Cossus fecit Urbis Præfectum, virum gravem, moderatum, sedmersum vino & madentem. Huic tamen Tiberius multa sua manu scripsit, quæ committenda ne Ministris qui-*

H

*Suet. c. 59.
p. 206.*

*Suet. Tib.
c. 42. p.
193.*

*1. Ep. 83.
p. 713.*

dono

TIBERIVS.

dem suis iudicabat; nullum Cossu aut privatum secretum, aut publicum elapsu. Bonus inter commilitones Vini acerrimos Combibo Cæsar poterat cum Pisone suo & Pomponio noctem continuumque biduum epulando potandoque consumere; cum Sestio inter luxus regales, nudis puellis ministrantibus, delictari; interque epulas apparatusissimas lurconem alium ignobilem nobilissimis antepone, ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram, teste Suetonio, cumque vini nimis esset avidus, scito dictorio Biberius vocabatur. De novo nomine Suetonii verba: In castris tiro etiam tam propter nimiam vini aviditatem pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldus, pro Nerone Mero vocabatur. Aurelii Victoris itidem: Iste, quia Claudius Tiberius Nero dicebatur, eleganter à jocularibus Caldus Biberius Mero ob vinolentiam nominatus est. A caleo, calidus, & per syncopen caldus, & hinc Caldus, à frequenti calidæ potu, de quo videndi Lipsius I. Elect. 4. p. 358, 359; Philippus Caroli I. V. L. 7. p. 20; Vossius Etymol. pag. 92. Cachinno res digna visa, & ridendo nomen datum non ignavo ad mensam Principi, ut Biberius Mero diceretur. Ita erat totus in poculis, studiumque omne huc vertebatur, ut novo nomini daret locum; nam Biberius Tiberio nullus vigilantior, nec Tiberius Biberio; huicque Biberio sive Bebrio & Bebræ Julæ Epitaphium ponemus istud, quod visitur Neapoli in Ecclesiâ montis Oliveti inscriptum tumulo, ap. Damhauerium:

Paranes.
Christian.
pag. 261.

D. O. M.

HEUS VIATOR MIRACULUM.
HIC VIR ET UXOR NON LITIGANT,
QUI SIMUS NON DICO, AT IPSA DICAM.
HIC BEBRIUS EBRIUS ME BEBRIAM EBRIAM
NOMINAT.

LITIGAS? VALE.

Vidimus aliquibus exemplis (neque enim omnia possumus) prodigium Imperatoris, exultantis in potu, in luxuria, in scortationibus, in avaritia, in divitiis, in rapinis, in otio, & quod omnium pessimum est, in cædibus; contemnentis ea, quæ sunt regni, obliviscentis publicæ fidei & tranquillitatis. Nunc eamus & videamus illum, quò fugerit, quoque se absconderit, tanquam in loco captivitatatis,

tatis, ut securius & sine intermissione viveret luxuriosè & perditè; neque enim locus, ubi impietati & nequitia commodiorem sedem quaesivit, prætercundus. Mala morum via ducebat Tiberium in Insulam obscuram, cui *Caprearum* nomen, quæ à Surrento urbe Campaniæ, brevi freto divisæ erant. Aur. Victor de Cæsaribus p. 613. *Capreas insulam quaesierat flagitiis obtentui.* Tacitus 6. A. 1. 2. *Cæsar transmissis, quod Capreas & Surrentum interluit, freto Campaniam prælegebat, ambiguus an urbem intraret, sed quia contra destinaverat, speciem venturi simulans, & sæpe in propinqua digressus, aditis juxta Tiberim hortis, saxa rursus & solitudinem maris repetiit, pudore scelerum & libidinum.* Quæ illa saxa & quæ solitudo maris? Capreas puta: idem enim Tacitus, ut omnia accuratè: *Capreas se in Insulam abdidit, trium millium freto ab extremis Surrentini promotorii dijunctam. Solitudinem ejus placuisse maximè crediderim, quoniam importuosum circa mare, & vix modicis navigiis pauca subsidia, neque appulerit quisquam, nisi gnaro custode. Celi temperies hieme mitis, objectu montis, quo sæva ventorum arcentur. Æstas in Favonium obversa, & aperto circum pelago peramena, prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret.* Meminit & Dio fine libri 52. col. 566: *Κεῖται ἡ πόλις τῆς κατὰ Συρρέντων ἡπειρῆς, χεῖρον μὲν ἔδεν, ὄνομα δὲ καὶ νῦν ἔτι διὰ τὴν Τιβεριῶν ἐνοικισίαν ἔχει.* Sita est insula haud procul Surrento, ad nullam quidem rem utilis, nomen vero adhuc habens ob hospitium Tiberii. Locus reverà inutilis, fœdus ludibriis Tiberii, qui huc se contulit tanquam in lupanar libidinis explendæ, atque secessum ignaviæ infandæ & intolerabilis, idque ultimo vitæ tempore, ubi maluit in Campania & Capreis quàm Romæ malè vivere; unde in hunc locum, impudiciæ Cæsaris sacratum, Sabellicus: *Est Caprearum insula in orâ Campaniæ contra Neapolim, rupibus immensæ altitudinis ac profundo mari septa, uno eoque per angusto adeunda tramite. Hanc ille secreti adeptus licentiam & à civitatis oculis procul remotus, vitia diu dissimulata, cum imperii sugillatione & hominum pernicie, uno velut impetu profudit, portentosis libidinibus & ob id relatu pudendis, intempestivisque potationibus deditus.* Loci si desideras cognitionem è veteri & nova geographia, videndi Cluverius 4. Ital. antiq. 4. p. 1168, 1169; Bochartus 2. Geogr. sacr. 33. p. 656. Locus Tiberii secessu

4. A. 67.
n. 2.7. En-
nead. 1.
col. 251.

7. *Æ-*
neid. v.

733.

cessu infamis; olim in habitatione Oebali nobilior, quem in Italiæ veteris descriptione, quam instituit Virgilius, canit Capreæ Insulæ Regem:

*Nec tu carminibus nostris indictus abi bis
Oebale, quem generasse Telon Sebetide Nympha
Fertur, Teleboùm Capreas cum regna teneret
Iam Senior; patriis sed non & Filius arvis
Contentus, latè jam tum ditione premebat
Sarrastes populos, & quæ rigat æquora Sarnus.*

c. 62. p.
210.s. 60. p.
207.

Locus ille Tiberio Caprearum ad scelera placuit, quia semotior à turbis, inque loco secretiori ea patrari poterant commodius, quæ lucem fugiunt. Scitè idem Tacitus num. 4. *Capreas Tiberius duodecim villarum nominibus, & molibus infederat, quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus, & malum otium resolutus. Verè malum otium, fœdum & prorsus ignobile, quod Principem perdidit. Rhodus Insula fuerat Tiberio gymnasium doctrinæ & virtutum; Capreæ gymnasium otii & vitiorum præbuerunt, in quo se exercuit, tanquam in palæstra quadam, per varia libidinum & crudelitatum exercitia. Carnificem se præbuit hominum, non Principem; Tortorem, non Imperatorem. Vestigia adeò clara reliquit in ea Insula crudelitatis suæ, ut diu certus locus fuerit ostensus, ubi oculos paverat suos per sævitiam. Carnificinæ ejus ostenditur locus Capreis, ait Suetonius, unde damnatos post longa & exquisita tormenta præcipitari coram se in mare jubebat, excipiente Classiariorum manu, & contis atque remis elidente cadavera, ne cui residui spiritus quidquam inesset. Latitat in eâ Insulâ, tanquam in deserto, Tiberius, cui asperæ cautes pro muris, quamque sinuosi scopuli abruptæque rupes, quasi quendam horridum carcerem, claudebant. Ille in solitudine securus, inter saxa intrepidus, totus nunc vitiis otiaitur, totus diffluens otio & libidine. Vix Capreas intraverat, & sævitix suæ exemplum dederat in Piscatore, homine simplici fuci que nescio, qui ingentem piscem obtulerat, ut exhilararet Principem indeque munusculû aliquod auferret. In paucis diebus, Suetonii verba sunt, quàm Capreas attigit, Piscatori, qui sibi secretum agenti grandem Mullum inopinanter obtulerat, perfricari eodem pisce faciem jussit, territus, quod is à tergo insula per aspera & devia erepsisset*
ad

ad se. Gratulanti autem inter penam, quod non & Locustam, quam prægrandem cepérat, obtulisset, locustâ quoque lacerari os imperavit. Quid profuit autem secessum quærere, nec in seipsum secedere? Solitudines quæruntur, ut vitentur occasiones in urbibus ad peccandum. Tiberius sectatur solitudinem, ut peccet, seipsum enim se relinquere non poterat. Quid profuit secessisse, tanquam non & trans mare, in insulis, Tiberius idem esse queat? Quæ latebra fuisset, in quam non intrassent vitia Tiberii? Non ad vitia vita commodior, quàm latuisse in obscurissimis Capreis instar copriæ, aut capri petulci. Quocumque se vitia Principum abduunt, innotescunt, licet in mediâ solitudine tegantur. Quis nobis detexit Tiberium in Copreis latitantem? Quod latuit, apparuit vitium, & vulgare est ubique. Tiberii verò fuisset, vitam agere plenam gravitatis; profuisset, *in seipsum secedere*, id enim sapientis esse sapiens monitum est Senecæ. Secessus iste, quo in se quis Princeps secedit, seque ipse ac sua lustrat, atque mutat, quod urget, secessuum omnium est secretissimus & quietissimus secessus. *Quid prodest, ait idem Seneca, mare trajicere, & urbes mutare? Si vis ista, quibus urgeris, effugere, non alibi sis oportet, sed alius?* Idem scilicet, ut Flaccus ait,

Cælum, non animum, mutant, qui trans mare currunt.

Tiberius sive in urbe, sive rure, sibi similis. Cur? Flaccus dicet:

In culpâ est animus, qui se non effugit usquam

Seneca dicet: *Non est extrinsecus malum nostrum. Intra nos est; in visceribus ipsis sedet.* Iterum dicet: *Animus est, qui commendat omnia.* *Vidi ego in villâ hilari & amœnâ mœstos; vidi in media solitudine occupatis similes.* Videmus hîc, qui in urbe malè egit, extra urbem iisdem affectibus rapi. Qui Tiberius Romæ fuit, ille illic Capreis non alienus erat, nisi quòd hîc indulgentiùs libidinaretur, & serviret crudelitati animi, unde cum paucis maluit esse in secreto Insulæ Caprearum, quàm Romæ circumspici. Alienatus à Regno, ejusque occupationibus, vacuus curarû delitescere, & criminibus patrandis occupari mavult; in deviis ruris ignavus, & ad cætera, præterquam ad malorum artificia, inutilis. Secessus ut bonus ad rem bene agendam, est optabilis, sic Tiberio ad scelera percharus. Secessus ille erat secessus excessusque vitiorum; abfuit autem in hoc secessu per undecim annos, in eòq; Reipublicæ curâ usque ad eò abjecit, quem-

Epist.

104. p.

820.

1. Epist.

11. v. 27.

1. Epist.

14. v. 13.

Epist. 50.

p. 610.

Ep. 55.

p. 620.

p. 192.

admodum capite 41. Suetonius scribit, *ut postea non decurias Equitum unquam suppleverit; non Tribunos militum Praefectosque; non Provinciarum Praesides ullos mutaverit; Hispaniam & Syriam per aliquot annos sine Consularibus Legatis habuerit; Armeniam à Parthis occupari; Moesiam à Dacis Sarmatisque; Gallias à Germanis vastari neglexerit, idque magno dedecore imperii, nec minori discrimine.*

c. 42. p. 193.

Potior ei voluptatum miserrima cura & lævitæ tristissima praxis quàm beatissima Reipublicæ, cujus tunc curâ depositâ se voluptatibus & vitiis deterrimis mancipabat, *magno dedecore imperii nec minori discrimine, ubi tanquam in lupanari delitescens, quasi civitatis oculis remotus cuncta simul vitia diu malè dissimulata tandem pleno profudit impetu.*

Suet. c.

66. p. 213.

lib. 12. n.

27. p. 121.

Sat. x. v.

72.

Roma quidem tum sub Tiberio in pace fuit, sed intestinis discordiis Principisque tyrannide, bello deterior pax fuit. Hæc ejus vitiorum latibula neglectusque Regni exteris innotuerunt, Parthorumque Rex Artabanus per literas ei *parricidia & cedes, ignaviam & luxuriam* objiciebat. Dicterium hinc: *Tiberius ἐν Καπρίαῖς, Tiberius in Capreis* apud Marcum Anton. in Vitâ, quod Adagiorum cumulum apud Erasmus augere posset. Meminit Juvenalis ejusdem loci à Tiberio inhabitati, unde scripserit Epistolam ad Senatum de Sejano in custodiam tradendo; Poetis enim hinc materia data scribendi, è quibus Ausonius:

Caesar.

Tib. v. 3.

Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro,

Quæ prodit vitiis, credit operta locis.

Claudianus in IV. Consul. Honorii v. 311.

Quis non per secula damnat

Cesarea portenta domus? quem dira Neronis

Funera, quem rupes Caprearum tetra latebit

Incesto possessa seni?

Censorem non ferebant vitia Imperatoris, quæ in primis affecerunt dolore Jureconsultum *Coccejum Nervam*, quem unicum legimus affuisse perverso Principi, in Capreis agenti, & in tantâ Consiliorum iniquitate Vir integerrimus variis injuriis & malis vexatus rebusque tam afflictis de salute desperâs desperabundo ipse animo vitam sibi ademit, volens innocentiam suam sic commendare quasi necessariâ sibi morte, sed indignissimâ tanto Icto. O perversum Imperatorem, conficientem corda & corpora! Miseret hic egregii Jurecon-

reconfulti, qui in ætatem malam Tiberii incidit, qui de Româ in eâ ipsâ miserâ præclariùs meritus fuisset, si per Tiberii libidinem melius licuisset. Illius memoriam deponere non possumus, nisi velle-
mus notam historiæ inurere; cùm ejus commemoratio proficua sit legentibus. Quanta ejus fuerit autoritas, inde colligi potest, quod gravissimis deliberationib9 adhibuerit Imperator, nesciētes, quo animo consilia acceptaverit. Imperatores nō sine Jurisconsultis & Consiliariis fuisse Gutherius 1. Offic. Dom. Aug. 18. p. 61, 62, 63, 64, 65 docturus de Tiberio notat *nullos in consilium adhibuisse, dum fuisset in Insulâ*; habemus verò nos ex historiâ, quòd Consiliarius *Coc. Nerva*, solus ex Senatorio ordine, Tiberium in Campaniam & Capreas secedentem secutus fuerit, ibique cum eo annos ferè octo permanferit; cùm autē Tiberius omnia cædibus ac libidine replevisset, Nerva ejus consuetudinis impatiens *integro statu, corpore inlato, moriendi consilium cepit*, quod ut Tiberio cognitum est, *assidere Nerva, causas requirere, addere preces, fateri postremò grave conscientia esse futurum, grave fama sua, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. At avertatus sermonem Nerva abstinentiam cibi conjunxit*, atque ita vitam finivit. Etsi verò Nerva in eo laudandus non est, quod ipse vitâ se exiit, mortisque sibi causa fuit, ad hoc tamen ejus exemplum considerari potest, viro justitiæ æquitatisque amanti vitam morte gravio-
rem esse apud Principem nequam, & ut inde discant Consilarii Aulici scelera etiam propositis præsentissimis periculis fugere & abominari, aulâ vel relictâ, vel in meliorem ordinem componendâ. Coccejus ille erat *continuus Principis*, quod ait Tacitus, *omnis divini humanique juris sciens*, quem præ aliis omnibus amabat Tiberius & indignatione habebat; sed pertæsus malitiæ aulicæ indignâ nece inferias sibi facere voluit. Erat huic filius ejusdem nominis, qui, Ulpiano teste, annum ætatis agens septimum ac decimum, aut non paulò plus, de Jure publicè respondit, exemplo industriæ singularis & eximiæ, quam ut assequi fortean non possint, proximè tamen subsequi studeant Jureconsultorum charissimi Lytæ.

Tacit. 6.

Ann. 26.

n. 1. 2.

6. Provinciarum bono *Tributa Subditorum*
moderatur, usus contra expilationes & one-

ra

ra nimia Provincialium probo dicto: BONI
PASTORIS EST TONDERE PECVS,
NON DEGLVBERE.

2. N. A. 5.
p. 71.

in Aphib.
f. 61.

Nemo quisquam vel Principum, vel aliorum, *tam efferis est moribus, quin faciat aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat.* Gellius id dicit, idque in Cæsarum quorundam illaudatorum historiam usurpare licet, quamvis enim pessimi nonnunquam & deterrimi fuerint, religione tamen interdum tacti & tacito quodam horrore eò acti sunt, ut sævitiâ & immanitate positâ dixerint aliquid aut fecerint, quod in laudem venire queat. Extremæ malitiæ Cæsar fuit Tiberius, sed tamen aliquando non passus fuit, ut excruciantur subditi vectigalibus & tributis, cuius dictum adhuc in ore omnium (utinam in Aulis omniû Regum & Principum) circumfertur: *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere;* quâ sententiâ damnat, explicante Lorichio, Δημοβόρος, Populivoros, *qui purpurati omnia convertunt in fiscum suum, & quocunque se conferunt, abradunt ita atque spoliant, ut cum carne pellem detractam dicas.* *Boni verò Pastores ita tondent, ut lana detonsa possit renasci; at qui deglubunt, nihil reliqui faciunt.* Rarum est monstrum nullâ virtute redemptum, ait ille; nec est aliquis ita vitiis omnimodis infamis, quin aliquo commendabilis sit dicto vel facto. Dictum tale censerî debet Tiberii, cùm Æmilio Recto, Ægypti provinciam obtinenti, & pecuniæ summam majorem, quam quæ constituta fuerat, mittenti rescriberet, *boni Pastoris esse tondere pecus, non deglubere.* Dictum sanè in omne ævum memorabile omnique Principe dignissimum, quo Principatûs sui initium commendare voluit Tiberius, quodque Suetonius, initia imperii laudans, ultimo fere loco posuit, sed dignum, quod agmen duceret. Cæsar ille, censente Lorichio, *merita laude celebrandus esset, si quam bene capit vitam, bene transegisset. Principatûs sui initio miram prudentiam præ se ferebat; & proculdubio feliciter regnasset, si non eum vivendi licentia, nec voluptas transversum egisset, ad quem scopulum priusquam fecisset naufragium Principe dignissimam protulit sententiam.* Laudantur Tiberiani imperii initia à Suetonio à cap. 44 usque ad 39; quo memorante

rante non invitus tantummodò suscepit imperium, sub simulationis umbrâ, sed aliquam multa boni & prudentis Principis indicia præ se tulit, inter quæ hæc potissimum commemoranda ducimur ex cap. 37. p. 189; quod *in primis tuende pacis à grassaturis & latrocinis, seditionumque licentia curam habuit*; quod Præsidibus *onerandas tributo provincias suadentibus* rescripsit, *boni Pastoris esse, tondere pecus, non deglubere*; quod precari solitus est, tantum sibi vitæ & imperii tempus, quantum Republicæ conduceret; quod inutiles illas & sumtuosas donationes sive munera, uti vocantur, in Mimos, Histriones, Aurigas & Gladiatores profusa, quibus multi rem familiarem exhauriebant, ut unius horæ favorem acquirerent, coercuit. *Ludorum ac munerum impensas corripuit*, inquit; ubi novè dictum, *corripuit pro contraxit atque imminuit*, notante Torrentio. Temperabat non modò laudatè largitiones illas & expensas; sed & *Tributa moderabatur*, sentiens esse regalius exaugere subditorum fortunas & opes, quàm exugere & imminuere; esse Principe dignius in tributis exigendis placidum se ostendere, Pastoris id exemplo, tondentis pecora sua, non deglubentis; ita enim rescripsisse illum Præsidibus, tributo provincias onerantibus, narrat Suetonius; quam insignem sententiam, omnibus Principibus & Magistratibus seriò observandam, Dio sic græcè extulit: *Κείρας δαίμης τὰ πορόβια, ἀλλὰ ἐκ ἀποξύραδι βέλομαι. Tonderi mea pecora volo, non ad vivum usque radi*; totidemque verbis Suidas in Excerptis p. 857, ubi, *cur ἀποξύρειν, abradere*, dixerit, non est negligendum, quia est Tonforum, novaculis utentium. Novaculâ non utuntur Pastores, sed forcipe, nec usque ad cutem radunt Oves. Tonsores verò solent radere novacula, ne relicto quidem criniculo; non eo modò agunt Ovium tonsores, qui forcipe utentes, non novaculâ, lanam decerpunt, ut adhuc cutis videatur cooperta vellere. Commendaturus Tiberium Orosius id dictum affert scribens: *Ipsè Tiberius plurimâ imperii sui parte, cum magna & gravi modestia Republicæ præfuit*, adeò ut quibusdam Præsidibus *augenda Provinciis tributa suadentibus scripserit: Boni Pastoris esse, tondere pecus, non deglubere*. Dignum est, quod laudetur apophthegma, quicquid de Principe statuatur, cujus durissimum imperium cum primis rudimentis non convenit; attulit is autem ad administrationem Pro-

cap. 34. p.

187.

Not. p.

245.

c. 32. p.

187.

lib. 57.

p. 698.

7. 4. p.

578.

Orat. 4.
p. 66.

18. Antiq.
Jud. 8. p.
631.

2. Rhet.
20.

Tac. 6.
Ann. 51. 5.

vinciarum nil commodius isto dicto, cuius paraphrasin dabimus commodè ex Dionis Chrystomi Oratione de Regno: Ὀμιρὸς ἐγκωμιάζων τινὰ τῶν βασιλέων λέγει ποιμένα λαῶν. Τὸ γὰρ ποιμὲν, ἢ ἄλλο τι ἔργον, ἢ πρόνοια, καὶ φυλακὴ προβάτων. ὡς ἐκατάκοπτειν, ἢ μάδια, καὶ σφάττειν, καὶ δέρειν. *Homerus laudans quendam Regem dicit eum esse Pastorem populorum. Pastoris enim non est aliud opus, quam providere ovibus, easque conservare atque custodire, non concidere, non, per Iovem, neque mactare & excoriare.* Neque prætereundus est in ulteriore expositionem Apologus, hanc in rem maximè aptus, quo concinnè reddidit ipse Tiberius causam, quare Præsides Provinciarum, vel Procuratores Cæsaris, non facile mutandos, nec nisi defunctis successores dandos existimaret. Muscæ (eam ille, referente Josepho, fabulam fingebat) agminatim advolantes Vulnerati cujusdam ulcera pungendo lingendoque contexerant. Hunc quidam fortè præteriens miseratus operam ei suam in muscis abigendis obtulit, ratus præ virium imbecillitate languentem muscarum impetum non posse repellere. Orat saucius, se sineret; mirante hoc, qui supervenerat, & quærente, quid esset, quod ab hac muscarum catervâ nollet liberari; respondet ille, quia his depulsis, aliis muscis succedentibus, majori conflictabor molestiâ & cruciatu, quia magis tamelicæ; ast istæ, quas vides mihi infidentes, exatiatæ ferè non nihil, (ἀνίχουσι,) remissius sanguinem sugunt. Sic ergo, inquit Tiberius, ego quoque Provincialibus consulere cupio, ne multorum Præsidium rapinis nimium vexentur & exhauriantur, quod fieret omninò, si crebrò illi mutarentur, accedente ad libidinem deglubendi etiam metu discessionis instantis; malo igitur ditatos rapinis relinquere, quàm novos substituere. Ab Æsopo didicisse Apologum verisimile est, pari enim ille modo, cum apud Samios patrocinium præstaret cuidam Tribuno plebis, qui capitis arcessebatur ob peculatum, μυθολογεῖται de Vulpe in voraginem delapsâ, ac prohibente erinaceum, ne muscas caninas, à quibus obsidebatur, à se depelleret, referente Aristotele. Egregiam hinc explicationem sententiæ suæ nobis reliquit Tiberius; utinam fuisset tam egregius vitâ famæque, quàm erat occultus ac subdolus fingendis virtutibus! Quàm totus Tiberii Principatus fermè perpetuis simulationibus obnoxius, & dissimulatio inter perpetua ejus studia fuerit,

fuerit, abunde dictum antea; quique principio tam clarus & illustris apparuit, *simulationē vultu texerat*, eoq; genere omnes superasse dicitur Bodino; ab his autem, eodem Politico censente, qui artes *simulandi ac dissimulandi tam curiosè didicerunt, nihil verum, nihil sanctum, nihil rectum sperare debemus, sed omnia ficta, vana, veteratoria, versuta;* quumque tam egregius esset simulandi artifex Tiberius, illud etiam inter artes simulationis dictum refert Bodinus, factum enim fuit id inter initia, cum adhuc favorem hominum moderationis simulatione captaret; nam in Tiberio, consentiente Cl. Boeclero, *nihil sincerae solidaeque virtutis, sed omnia infida, omnia simulata,* in quorum numero aestimat illud effatum, addens: *Non decipiet ergò te comis illa & ad indulgentissimi Principis specimen formata vox, quā Praesidibus suis onerandas tributo provincias suadentibus rescripsit: Boni Pastoris est, tondere pecus, non deglubere. Hac enim ille dicit, qui paulò post converso ad rapinas animo nemini quicquam securum aut immune sinet. Sic ceterarum quoque rerum, quibus Virtutum aliqua species inesse videbatur, aestimatio facienda.* Dictum autem est omninò probum, licet animo improbo & ad simulationem composito prolatum; putabilque Principem magis hoc dicere, ut debitum officium quam ut animum indicet. Parum confirmatae mentis signa faciunt, ut ita sentiat; neque nunc attendimus, quò se converterit postea, quam malam vitam habuerit, cum viveret dissolutè, sed quem sermonem probum, cum prudenter loqueretur. Non consideramus, in quo malo simulationis sit Princeps, sed quomodo voluerit malus bene loqui, & prospicere provinciis de futuro. Eo dicto si alienus fuit à suâ mente, non alienus fuit, quia profuit. Tanti valet dictum, quantum in se, non quantum in animo dicentis. Tanto major laus est dicentis, quanto minor erat expectatio confitentis. Tantò ampliùs laudatur vox, quando minus sperabatur. Quare tantò commendatior sermo, quanto major hic est labentium Principum error, quos mali Politici exemplo Tiberii ad simulationem vitiosam flectunt, atque ostendunt versipellis & latebrofi Principis exemplum Principibus & Dominis interdū suis, ut supra aliorū ingenia extitisse de praedictis, inquietes: *Hoc praclarum; hoc Tiberianum est.* Aciem ingequi deterunt, qui ita malâ mente sunt, imò peiores ipso Tiberio in multis.

4. de Rep.
I. p. 591.Dis. Tib.
n. 15 p. 55.

Diff. 60.
de Regno
Dei p.
196.

multis. *Utinam*, scribit *Causinus*, & qui hoc exemplar imitandum sibi proponunt, extra non irent. *Multa ille sub initiis Principatus prudenter, multa moderatè fecit, tondere volebat non deglubere, leniter tractari subditos jubebat, dicitabat in civitate liberâ, mentem liberam & linguam esse oportere. Erat in publicas utilitates cura prior, adversus pecunias firmus, pauperum miseras allevare solitus, non facere. Jus suum cuique reddi constantissimè curabat, potentum delitias & luxum severitate legum continebat. Hæc dum Augustum saperet, dum Augustum referret. At postquam regnandi zelotypiâ in propinquos & principes viros est efferatus, quid illo scelestius? imò quid imbecillius? quid calamitosius? Augustum retulit, dum augustè dixit de Tributis; nec fraudem fecit, licet fraudulentus, quia dicit, quod faciendum Præfectis, quia hortatur, ut faciant; quia æquum est, ut Princeps habeat, quod suum est, & ut Minister, quod suum, & ut subditus, quod suum. Bene, ut Princeps habeat, & alter habeat; ut Princeps abundet, & alter non egeat. Excelsa hæc est meritò & sublimis sententia, in quâ ipse Simulator justitiam agnoscit, licet alio animo dixerit; simulatoris enim est subinde optimas & ex vero sententias proferre, licet aliud sentiat, aut aliud agat. Prævit autem bona sententia Præfectis & omnibus Ministris Regni, ut abstinerent à rapinis & exactionibus, quibus faciebant injuriam, licet postmodum ipsum Imperatorem viderent deviantem à tramite justæ sententiæ. Præit adhuc omnibus Regnorum & Principatum Ministris, imò ipsis Principibus & Regibus, quomodo tractari debeant Subditi, ne nudentur. Faciant Reges & Principes, quod dictum est à Tiberio; & auribus percipiant vocem, qui regunt orbem. Imperent subditis, tanquam Pastores; non dominantur, ut Tiberius. Iniquus Imperator non iniquè dixit, Pastores esse Reges & Principes. Hoc Tiberianum dictum gloriam habet, quia Tiberius dixit, nondum sceleratus, nondum sæviens. Regis & Principis boni est, non obesse sed prodesse subditis, non illos perdere, sed illis servare aurum & argentum, & facultates, & fundos, non invidere lucrum, non invidere vitam. Bonorum Principum est, ut ovium salutem potius quærant, quàm sua lucra, sua tributa & vectigalia. Sollicitudo hæc est Principe digna, oves impensius amare, quàm vellus. Quoties verò colore sollicitudinis magnæ & schemate necessari*

cessitatis extremæ obteguntur illæ subditorum expilationes, & inane tituli prætexuntur avaritiæ vel prodigalitati Principum! Principi hæc cælo scripta lex venit: *Salus populi suprema lex esto.* Imò suprema, quod dolendum, per inversionem, quia prima fere Lex est, venari subditorum bona & quærere pecuniam; salus demum populi post nummos. Tribuimus bonis Principibus optima, qui in Tributis se noscunt. Tributa tantum Principes augent mali, observatione Gruteri, non Tiberii vocem, sed vitam imitantes, Caji Caligulæ genium & ingenium habentes, aut Neronis, aut alterius mali Principis. Solent plurimi Reges & Principes à prodigalitate delabi ad sordidam avaritiam, ad expilationem Civium, ad rapinas, ad tributa iniqua, instar Caji Caligulæ, de quo Suetonius. *Exhaustus atque egens ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum & auctiorum & vectigalium genere.* Idem Nero, æmulus Caji, faciebat, nam & ille, dicente Suetonio, *exhaustus & egens calumniis rapinisque animum intendit.* Inusitata & inaudita non per publicanos tantum sed etiam per Centuriones, Tribunosque prætorianos, ab omni hominum genere pro eduliis, quæ totâ urbe venirent, pro litibus atque judiciis, ex matrimoniis, ex lenociniis, ex quæstu meretricio, & id genus aliis exigi curavit tributa Cæsar, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributum aliquid imponeret, ut prodigalitatem continuaret. Vectigalia nova atque inaudita exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributum aliquid imponeret, cujus exempla profert Suetonius. Novis & auctis tributis novos etiam & plures præfecit Ministros, auctâque sic molestiâ miseres reddebantur cives, suo privato commodo Exactoribus inservientibus. Ejusmodi malus Imperator fuerat, *Valentinianus*, cujus nimiam in exigendis tributis rigiditatem reprehendit Zosimus, ubi subditis ait fuisse βαρύτατον, *gravissimum*; severumque nimis & truculentum est, quod de eo memorat Ammianus: *Aliud audiebatur horrendum, quod debitorum aliquem egestate obstrictum nihil reddere posse dicebatur, interfici debere pronuntiabat.* Debitorem fisci vel fiscalium titulorum intelligit. Ea erat quoque rigiditas *Pescennii Nigri*, qui Palæstinis rogantibus, ut earum census nimis gravis levaretur, respondit: *Vos Terras vestras levare censu vultis; Ego verò etiam Aerem vestrum censere vellem.* Mo-

Florileg.
Polit. p.
821.

c.38.p.
255.

c.32.p.
346.

c.40.p.
257.

lib.4.p.

744
lib.27.

p.346.

Spartian.
Nigro p.
325.

dum ascripti census ferre non poterant agri, & ille expilator querimonias ridens de aere etiam cenlendo nugas agit. Ut quisque est melior Imperator aut Rex, ita aut contentus est Tributis consuetis & necessariis, vel ipsamet adhuc imminuit. Gloriosè admodum *Julianus*, malus aliàs Imperator, in Misopogone de seipso ad Antiochenses: Ἡμῶν γὰρ οὐδεὶς ἀγρὸν, οὐδ' ἐκῆπρον ἐπαρίατο παρ' ὑμῖν, ἐδ' ἐοικίαν ὠκοδόμησεν, οὐδ' ἐγήμηκε παρ' ὑμῶν, οὐδ' ἐξέδωκεν εἰς ὑμᾶς, οὐδ' ἐνέρας θημῶν τῶν παρ' ὑμῖν καλῶν, οὐδ' ἐζηλώσατο ἀσύνειον πλοῦτον, ἐδ' ἐνεμάμεθα τὰς παρὰσείας, οὐδ' ἐπαρῶσατο εὐεῖν ὑμῖν ἀνεχώμεθα τινὰς τῶν ἐν τέλει, οὐδ' ἐπέειλαμεν τὸν δῆμον εἰς παρασκευὰς δειπνῶν ἢ θεάτρων, ὃν οὕτως ἐποιήσαμεν τρυφᾶν, ὥς ἐαγὼν χολὴν ἀπὸ ἐνδείας τῶν ἀναπαύσεων εἰς τὰς αἰτίους αὐτῶν τ' ἐυθυμίας ζυνέθηκεν, οὐδ' ἐπεχράσατο χρυσίον, ἐδ' ἐπήλαμεν ἀργύριον, οὐδ' ἐνυξήσαμεν φόρους, ἀλλὰ πρὸς τοῖς ἐλλείμμασιν ἀνεῖται πᾶσι τ' εἰδισμένων τὸ πέμπτον. *Nostrum enim nemo agrum, nemo hortum apud vos coemit, neque domum adificavit, neque uxorem à vobis duxit, aut dedit, neque ea quæ apud vos pulchra sunt, amavimus, neque Assyrias opes expetivimus, neque præfecturas depasti sumus, neque abuti potestate sua erga vos magistratum aliquem passi sumus, neque populo splendorum conviviorum, theatrorumve auctores fuimus; imò tantam ei immunitatem & ubertatem rerum omnium dedimus, ut liber ab inopia metu, anapestos luserit in eos, qui tantum bonorum ei largiti sunt. Non aurum imperavimus, non argentum exegimus, neque Tributa amplificavimus, sed præter residuum nondum persolutum, quintam de consuetis vectigalibus partem remisimus.* Sed & de Valente scribit Ammianus: *Provinciarum æquissimus tutor, quarum singulas, ut domum propriam custodiebat indemnes. Tributorum onera studio quodam molliens singulari, nulla vectigalium admittens augmenta. In requirendis reliquorum debitis non molestus. Furibus & in peculatu deprehensis iudicibus inimicus asper & vehemens.* Lachrymas excussit Christianis Juliani impii odium religionis, quem iidem laudabant ob clementiam in tributis. Eo nomine laudatur Ambrosio, quod ille, ut & Valentinianus, provincialibus nil iudici passus fuerit, nam de utroque: *Quid de amore Provincialium loquar, vel quo eos ipse (Valent.) complectebatur, vel qui ab iis Consultori suo rependebatur, quibus nihil unquam iudici passus est? Prætorita, inquit, non queunt solvere, nova poterunt*

lib. 31. p.
463.

Orat. de
Valent. p.
6. T. 3.

runt sustinere? Hoc laudant Provincia Julianum. Et ille quidem in robustâ etate, iste in processu adolescentiæ. Ille plurima reperit, & exhausit omnia; Iste nihil invenit, & omnibus abundavit. De Juliano retulit Libanius, votum ejus fuisse, ut ad antiquam formam Tributa reducere liceret. Quàm ægre tulerit Provinciales vexari à Florentio, Præfecto Prætorii, ex Juliani Epistola ad Oribasium retulit Vallesius in Marcellinum. Discant Imperatorum, Ethnicorum potissimum, exemplis Christiani Reges ac Principes moderatam Civium exactionem, maximè post bella, ut opes iterum, civibus hætenus per bella exhaustis, crescant; quæ prudentia in Principibus bonis unicè commendatissima est; & si fuisset Tiberius Princeps bonus, nil unquam fecisset post varia bella regno consultius, quàm si bonum Pastorem egisset in Ovibus non deglubendis, sed tondendis. Nullus adeò malus Princeps, quin aliquid boni aliquando faciat aut dicat. Nec aliquis adeò probus Princeps, quin aliquando erratum aut peccatum committat. Si quid boni Tiberius inter tot mala fecit dixitque, est, quod afflictas tot bellis Provincias sublevavit tributis, & requiem à tormentis tributorum permisit. Ministri verò Principum semper habent, quod loquantur ad gratiam de excessibus. Necessitatem obtendunt, & voluntati obviare Principis ajunt. Videant, ne fallantur, & de necessitate judicent malè. Mutemus vivendi rationem, de consueto demamus, amputemus, quod superfluum est, discamus carere, sumtibus parcamus. Non ex animo, sed ex oculis subditorum, ordinetur fiscus. Si Ministri viginti pascebantur temporibus lætis, tristibus decem pascantur. Notum est vetus illud: *Magnum vectigale est parsimonia.* Parsimoniæ aulicæ fructus redundat in totum corpus regni, provinciarum & ditionum. Bonus ejusmodi Oeconomus, Pastor & Paterfamilias, videri voluit Tiberius, sique mansisset, fuisset. Parsimoniæ studuit, & parsimoniam publicam juvit exemplo. Solennibus ipse cœnis, pridiana sæpe ac semefa obsonia apposuit, dimidiatumque Aprum, affirmans omnia eadem habere, quæ totum. Pecuniæ parcus ac tenax comites peregrinationum expeditionumque nunquam salario, cibariis tantùm sustentavit. In vestitu & cultu corporis parcus & frugalis fuit, edicto etiam vetans, ut neque Ipse, neque alius quisquam, *sericâ veste, ονεϊνῆ ἐσθῆτι*, uteretur, teste Joanne Antio-

Orat. fun.
p. 326.

lib. 17.
pag. 135.

Sueton. c.
34. p. 188.
cap. 46.
p. 196.

- Hist. p. 801. 3. A. 52. 2. Tac. 2. A. 87. 1. 1. 55. p. 653. 56. p. 666. Diff. 40. p. 238.
- Antiocheno. Unde dicitur *Princeps antiqua parsimonia* Tacito. Studium quoque utilitatis publicæ in eo testari voluit, ne *ob annona* nam populus seditionem moveret, nam sævitiam annonæ *incusante plebe statuit frumento pretium*, binosque nummos *se additurum Negotiatoribus in singulos modios*. Recto cursu egit Tiberius, dum ita egerat, à quo depulsus tempestate vitiorum non eò cursum instituit, quò debuit, sed quò tempestas egit transversum. Contigit luctuosa ac tristis mutatio Tiberii, quantam exprimere non satis possumus. Expressit unica voce *Lupi Bato*, Dalmata, perditam audaciam Romanorum in vexandis & tantum non exanimandis populis, Tiberio de iniquitate *Præfectorum* bis respondens liberiori ore apud Dionem: Ὑμεῖς τῶν αἰτίων αἴτιοι ἐστέ. ἐπὶ γὰρ τὰς ἀγέλας ὑμῶν φύλακας, ἢ κύνες, ἢ δὲ νομέας, ἀλλὰ λύκους πέμπετε. *Vos Romani in culpa estis ipsi incommodorum vestrorum, qui ad greges vestros custodiendos non Canes Pastoresve, sed Lupos mittitis*. Rectè & cordatè beluinos mores notans ait *Provinciarum avaros Præfectos* expilationibus & crudelitate *Lupos* fuisse. Multi *Reges & Principes* non *Pastores populi sui* agunt, sed *Lupos*, aut, quod eodem redit, sibi *Lupos* substituunt tetros, horridos, distortos, fædos. De hoc non celamus, quid scribat *Maximus Tyrius*: Καὶ τὴν κύρην ἐπισήμην ἀρετῆς καλῶ βασιλικῶν, ἧς ἐδίδασκε μὲν Κύρῳ, Καμβύσης ἣ οὐκ ἐμάνθανεν, οὐδὲ Ξέρξης ἐμάνθανε. Κύρῳ μὲν γὰρ ἠγεῖτο Περσῶν, ὡς ποιμὴν θρεμμάτων, σώζων τὸ αἰπόλιον καὶ τρέφων, καὶ Μήδοις πολέμων, καὶ Βαβυλωνίους λαμβάνων, καὶ μηδενὶ ἐφίεις λύκῳ βαρβαρῶν, καὶ ἀργίᾳ ἀναμιχθῆναι, τῆς ἀγέλης. Καμβύσης δὲ ἡ καὶ αὐτοῦ Ξέρξης ἐκ ποιμένων ἀγαθῶν πονηροὶ λύκοι. *Ego igitur virtutem Cyri regiam dico scientiam, quam docebat quidem Cyrus, non discebat tamen Cambyses, non discebat Xerxes. Cyrus enim Persis non aliter imperabat, quam pecoribus suis Pastor. Ille salutis ejus curam gerebat igitur pabuli. Ille in Medos bellum movet, ille Babylonios invadit. Lupis verò barbaris ferisque ne aditum quidem ad gregem permittit. Cambyses contra Xerxesque è bonis pastoribus lupi evasere improbi. Non Lupi, non Apri sint, sed, si sylvosi animalis exemplo uti liceat, Cervi sint Principes. Cervus gramen comedit radice relictâ, atque ita depascit herbam, ut quotidie comedere possit. Aper verò radicitus omnia devastat, terram egerit cum cespite, pascuam annihilat, ut nil supersit.* Apri sunt Prin-

Principes, qui exhauriunt perpetuo tributo subditorum pascua. Lupi sunt, ut rectè monuit simplex Dalmata. Miseros subditos, ubi à talibus Lupis invaduntur, qui Ovibus nec lanam, nec cutem, nec viscera, nec ipsa ossa relinquunt. Bonus Pastor tondet Oves non hyeme, sed ætate, vellus relinquens contra frigus. Malus Princeps instar Lupi non frigore subditorum ab opere tonsuræ deterretur, sed nullâ habitâ ratione pressurarum sævit in miseras eorum pelles ferro & forcipe, qui flentes & ejulantes lachrymas frustra emittunt. Valde miseri, si semper flent; magis miseri, si nunquam de lacrymis liberandi; miseriore Principes iniqui, quia æternum flent. Noli velle esse talis Princeps, & non te fletus occupabit, nec fletus subditorum perdet. Miser vivit subditus, miserior morietur Princeps. Non vis ut pereas, noli esse Cajus. Inclinent aurem Reges ac Principes boni aut duri, & audiant, quid dicat Princeps malus Tiberius. Inclinent aurem ad inopem & egenum subditum, indigentem misericordiâ, & exaudiant, ut à Deo exaudiantur. Si Principes defunt officio suo, defunt pietati, Dei est illud iudicium. Infelices sunt Aulæ, quæ implent manipulos ex sudore & sanguine subditorum, neque enim benedictione Dei colliguntur hæ opes, & fallax est illa opulentia, quæ inde putatur haberi; tantò enim magis infelices sunt Principes, quantò magis videntur esse felices & divites; *fallax hic felicitas ipsa est major infelicitas*, ait Augustinus. Patitur quis subditus tribulationem pro pecunia, pro agro, pro vineâ, pro horreis, pro commodis hujus vitæ; patitur, passurus, ut potiatur. Bona si per iniqua tributa exhauriuntur, patitur, ut potiatur bonis, mansuris in æternum. Quid Vita nostra? Labor, pressura, tribulatio, tentatio; inquires, maxime sub Dominis durioribus, & quibus nil sufficit. Ubi Pax & Requies? Non est Requies in hac vitâ, in cælo nobis promissum est, quod in terrâ quærimus. In futuro seculo promissum est, quod in hoc seculo quærimus. Sit igitur spes in spe futurâ, & omnia possidebimus. Quod patimur, transit, finitur; quod accepturi sumus, finem non habebit. Videamus, ut bene finiamus, & omnia possidebimus. In hoc finimus, & bene speramus. Breviter quidem ista, & brevia verbis, re copiosis, pro loco & tempore, quantum potuimus, sed & pauca verba in optimâ re, sicut pauca semina uberrimam messem referent, si sit terra fructifera.

K

7. Bellis

in Psalm.
129.col.
1505.

7. Bellis Germaniæ inclaruit diversis, unâ cum *Druso* Fratrem hujusque Filio *Germanico*, auspiciis Augusti gestis in *Rhætiâ* & *Vindeliciâ*, cis & ultra *Rhenum*, circa *Lupiam* *Vifurgim* & *Albim*, contra *Vsipedes*, *Sicambros*, *Cherufcos*, *Chattos*, *Suevos*, *Batavos*, *Frisios*; Fraterque *Drusus*, bello terribilis, inter *Salam* & *Rhenum* copiis *Tiberio* relictis, perit.

Magnâ curâ præcipuoque studio legenda & referenda sunt, quæ domesticam nostram historiam attingunt, Germanorum nimirum adversus Romanos Romanorumque contra Germanos bella. Bella utrinque illata numero crebro, vi & virtute maxima & formidolosa. Auspiciis Augusti adversus Germanos, jugum Romanorum detrectantes, missus fuit *DRUSUS*, Dux contra Germanos declaratus, qui virtute insigni Germaniæ cis & trans *Rhenum* positas civitates oppugnavit, *Castella* contra Germanos hinc inde ad littora *Rheni*, & in montibus extruxit, diversos Germaniæ populos, maximè trans *Rhenum*, aggressus fuit. Subjugarant sibi Romani *Asiam*, *Africam*, *Aegyptum*; in Europâ *Galliam*, *Britanniam*, *Hispaniam*. Ast unam Germaniam sibi subjicere non poterant. Momentanea fuit *Drusi* victoria, quamvis enim *Victor* per *Rheni* ripâ *Castella* erexit, fuit tamen, quod *Florus* ait, *breve gaudium, quippe Germani victi magis, quam domiti erant; moresq; nostros magis, quam arma sub imper. Druso suspiciebant; neq; admittimus, quod scribit Seneca, intima Germaniæ reclusisse, & gentes ferocissimas Romano subjecisse imperio, Consol. ad Polyb. c. 34. p. 593; intrasse penitus Germaniam, & ibi signa Romanorû fixisse, ubi vix ullos esse Romanos notum erat, Consol. ad Marciam c. 3. p. 600. Noluit Augustus, multò minùs Drusus, intrare penitus Germaniam, populos ultra *Albim* laceffere, & quietas gentes trahere ad res novas, teste *Strabone*,*

4. 12. 30.
p. 387.

bone, noluit enim ἐπιτρέπειν τοῖς στρατηγοῖς, διαβαίνειν τὸν Ἄλβιν, εὐ-
 πορώτερον δὲ ὑπέλαβε στρατηγεῖν τὸν ἐν χειρὶ πόλεμον, *permittere mili-*
tibus, ut transirent flumen Albin, sed censuit magis proficuum, si bel-
lum, quod præmanibus erat, conficeret, ne πρὸς κοινωνίαν τῆς ἔχθρας, ad
societatem cum hostibus faciendam, irritarentur populi ultra Albim
 siti. De Germaniâ nunquam subactâ ab Augusto expressè Aurel.
 Victor tradit, ajens *pacasse externarum gentium ferociam, nisi Ger-*
mania; & ubertim etiam sententiam suam exponit Florus, censens
 fecisse melius Augustum, si Germaniam, ut per amplam sic milite
 exercitatum, non cum Romani nominis & militis jactura attigis-
 set, daturus enim quid Drusus in Germania egerit, sic præfatur:
Germaniam Augustus utinam vincere tanti non putasset! Magis tur-
piter amissa est, quam gloriosè acquisita. Sed quatenus sciebat Pa-
trrem suum Cæsarem bis trajecto ponte Rheni quasisse bellum, in illius
honorem concupivit facere provinciam; & factum erat, si barbari
tam vitia nostra quam imperia ferre potuissent. Quid verò juvenis
 Drusus, ab Augusto missus? Multas quidem ille ejusque postea fi-
 lius Germanicus in Germania gessere res elogio dignas, sed non
 illis magis tribuendum, quam id rei veritas admittit. A bello Rhe-
 tico incipiamus. Gallis ordinatis ab Augusto mittuntur Drusus
 & Tiberius contra Rhætos A. V. 739, qui subacti obedientiam
 præstiterunt, cum maxima parte Rhætorum parte aliò traducta
 πρὸς τὸ νεοχμῶσαι, *ad rebellandum*, non satis virium haberent, scri-
 bente Dione. Ad implendum Imperatoris strenui officium *domuit*
 Augustus, *partim ductu, partim auspiciis suis, Cantabriam, Aqu-*
taniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni; item Rhætiam
 & Vindelicos, ac *Salassos, gentes Inalpinas.* Numero Provinciarum
 populi Romani *conjunxisse Rhætos & Vindelicos* notat Aur. Victor
 p. 625; Romano adjecisse imperio dicit Eutropius p. 654. Quod
 itaque Suetonius Rhæticum Vindelicumque bellum tribuit Tibe-
 rio, non obstat, nam *auspiciis Augusti* ea bella fuere gesta; unde
Vindelicorum Rhætorumque Victor dictus Tiberius Vellejo, qui
 scriptor quid hîc ad Principum adulationem retulerit, animadver-
 tit Ægidius Tschudus Descr. Rhæt. Alpin. c. 9. pag. 22, ubi de causâ
 belli aliisque legendus. Diversa scriptorum jam laudatorum testi-
 monia docent Rhætos à Vindelicis esse diversos, quod contra

lib. 7.
 pag. 201.

p. 612.

4. 12. 21.
 p. 386.

lib. 54. p.
 613, 614.
 Suet. in
 Aug. c. 21.
 p. 83.

in Tiber.
 c. 9. p.
 167.
 2. 122. p.
 103.

cap. 3. p.
724.

part. I. c. I.
p. 5.

12. Reip.
Rom. I.
p. 921.
Rhet. p.
130, 131.

Vindel. c.
4. p. 728.

12. Rep.
Rom. 2. c.
1. p. 921.

c. I. p. 275.
4. Od. 14.
v. 14.

Welferum etiam ostendit Cluverius in Vindeliciâ ; Rheticique belli hujus monumentum lustremus in augustissimâ Urbe Augustâ, quam inde *Augspurg* / q. *Augustiburgum* & castrum censent vocatam; estque inter memorabilia positum à Carolo Stengelio statim initio Commentarii Rerum Augustanarum, civitatibus, quibus *Augusta* nomen datum ab Octaviano, *unam* Vindelicorum *superesse, quæ nomen non mutaverit, & Coloniae dignitatem post tot seculorum ætates adhuc tueatur, cum reliquæ, quotquot fuerint, omnes aut perierint funditus, aut nomine, aut libertate, aut iurâ quere multata fuerint.* Augustam Drusi vocat Lazius, & *Augustam Vindeliciam* alio esse loco cum Aventino sentit, de qua Aventini opinione iudicium dat Tschudus. Coloniarum Romanarum cognomen *Augusta* erat, cuius inter nos sunt alia exempla; uti *Augusta Rauracorum* à Munacio Planco Augusti auspiciis deducta, & ab eodem nominata, postea ab Attila funditus everfa. Rudera hodie habentur supra Basileam, in vico nunc inde dicto Augst, notante Cluverio. Scitur *Augustodunum Burgundia*, hodie Episcopalis urbs, ab Augusto restauratore sic dicta, ubi multa visuntur cum intra, tum extra urbem monumenta vetera. De coloniis in Rhetiâ Lazius: *In provinciâ Rhetia quinquaginta septem municipia florentibus Romanorum rebus fuerunt, & ex his tres Coloniarum honore insignita.* Drusi colonia *Augusta* fuit, *Constantii Caesaris Constantia* (*Costenz*) in margine lacus *Acromii* sita, quæ veteri adhuc appellatione manet, & *Curia Rhetorum*, à nescio quo Augusto Coloniae honore decorata. Hæ omnes Civitates ab uno Rhetia primæ Duce jura ac leges accipiebant, quidque Drusus imposuerit, non constat, de quo Suetonius scribit in Claudio, quod *Dux Rhetici belli* fuerit. Dux ille ob devictos Rhetos commendatus Horatio:

*Major Neronum mox grave prælium
Commisit; immanisque Rhetos
Auspiciis pepulit secundis.*

Rheticis rebus dispositis anno intercedente mittitur Drusus primum in Germaniam cis-Rhenanam; inde ultra Rhenum ad *Albim* usque movet, eoque progressus aliquot forsitan Tabulas & Inscriptiones, Trophæa & Lapides reliquit, nullas verò urbes aut castella, sicut ad Rhenum, ædificavit, nulla Fana aut Tempia evexit; neque

que Fanum illud Magdeburgicum, in quo reliquias Romanæ religionis quidem quærit Crantzius, non autem invenit; tantæ enim vetustatis non est Magdeburgum, ut superstitionis suæ sedem ibi fixerint Romani, quam demum extinxerat Carolus Magnus. In *Castello Magdeburg*, scribit Crantzius, *phanum crediderim reliquias Romanæ olim religionis, veriùs superstitionis, quum Drusus Nero, & deinde Filius ejus Germanicus sub Augusto Cesare præessent provincie.* Nulla nobis recensent historici monumenta ultra Albim, quod quidem scimus, sed quicquid laudant, id ad Rhenum potissimum pertinet; quicquid ultra contigit, id periculosum evenerat, ipsique Druso tandem fatale. Copia verò rerum hic tanta est, ut omnia tractare nequeamus, majori copiâ lætiores, si integer Plinius ad nos venisset, nec essent mutili Dio & Livius. Superat sine controversiâ *Augusti bellum Germanicum*, per Drusum & Tiberium Fratres gestum, nobilitatem omnium bellorum. Grata nobis sit historia Taciti, Dionis & Flori, è quibus carptim agemus. De Drusi bellis variis Dio lib. 54. p. 623. *Τῷ ἤθει πρὸς τὸν πόλεμον αὐθις ὤρμησε, καὶ τὸν τε Ῥήνον ἐπεραιώθη, καὶ τὰς Οὐσιπέτας κατεσρέψατο. Τὸν τε Λαπταν ἐξέυξε, καὶ ἐς τὴν τῶν Συγάμβρων ἐνέβαλε, καὶ δι' αὐτῆς καὶ ἐς τὴν χερσκιὰν προσεχώρησε μέχρι τῆς Οὐισέργου.* *Initio Veris rursus ad bellum profectus Rhenum transit, Usipetas subjugavit, Luppia fluminis ripis ponte junctis Sigambros irrupit; perque eos in Cheruscorum fines usque ad Visurgim processit.* Similiter libro 55. init. p. 627. *Ἐς τε τὴν τῶν Κάττων ἐσέβαλε, καὶ προήλθε μέχρι τῆς Σικηίας. Κάντε ὕθεν πρὸς τε τὴν χερσκιάν μετέστη, καὶ τὸν Οὐισεργὸν διαβάς ἤλασε μέχρι τῆς Ἀλβίου, πάντα πορθῶν.* *Chattorum fines ingressus ad Sueviam usque processit; inde in Cheruscorum agros conversus Visurgimque transgressus ad Albim usque penetravit, cuncta depopulando.* Cheruscorum vicini erant *Chatti*, nam in latere *Chancorum Cattorumque Cherusci*, Tacito teste, quos Drusus invasit, de quo Dio: *Τὰ δὲ δὴ τῶν Κελτῶν ἢ τε ἄλλων καὶ ἢ χάτων ὁ Δρῦς ὅσα τὰ μὲν ἐκίκωσε, τὰ δὲ ἐχειρώσατο.* *Germanos tum alios, tum Chattos Drusus partim afflixit, partim subegit.* Eodem teste Anno C. 743 profectus Drusus contra *Sicambros* magnam agrorum partem vastavit; *συχνα ἐπόρθησεν*, uti Dio loquitur. De eâ in *Sicambros* subigendos expeditione ad triumphum gloriam votum extat Horatii:

2. Sax. 12.

P. 37.

Germ.

36. 1.

lib. 54.

pag. 625.

lib. 54. p.

622.

4 Carm.

od. 2. v. 33.

Concines majore Poeta plectro
 Casarem, quandoque trahet feroceis
 Per sacrum cliuum meritâ decorus
 Fronde Sicambros.

1. Ann.
 Fris. 4. p.
 36.
 de Rhen.
 c. 23. p.
 212, 214.
 12. An. 9.
 1.
 vers. 15.

Sicambri relictis δια τῆς Ῥήνης καταπλεύσας εἰς τὸν Ὠκεανόν, τὰς τε φρε-
 σίς ὠκειώσατο, secundo Rheno in Oceanum devedtus Frisios subegit,
 Dione ibidem recensente. Tributum Frisus imponebat modicum
 Drusus, sed illi avariùs habiti nimisque acri tributorum exactione
 per Ostennium commoti rebellabant, Tacito recensente 4. Annal.
 72, de quo legatur Cluverius de Rheni alveis c. 23. p. 216, 217. & de
 Frisiorum Insulis c. 24. p. 200. Anno ante natalem Christi decimo
 sub Asinga, Frisiorum principe, Romanos primùm esse ingressos
 Frisiam, Duce hoc Druso, notat Furmerius. Frisii sat vexatis quum
 per paludem (nunc vulgari voce **Twatt**) in Chaucorum fines
 trajiceret, in periculum incidit, τῶν πλοίων ὅτι τῆς τῆς Ὠκεανῆ παλῆρ-
 ποίας ἐπὶ ξηρῶ γενομένων, navibus maris refluxu in sicco destitutis,
 quod ex Dione docet Cluverius. Veniunt hinc in mentem Suevi,
 quibus Vannius à Druso Cæsare impositus, primâ imperii etate
 clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate fuit mutatus in su-
 perbiam. Introspeciens varia bellorum negotia Peto Albinovanus
 in Elegia de Morte Drusi solùm Rhætorum, Suevorum & Sicam-
 brorum meminit his versibus:

Ille modo eripuit latebrosas hostibus Alpes,
 Et titulum belli Dux duce Fratre tulit.

Ille genus Suevos acre, indomitosque Sicambros
 Contudit, inque fugam barbara terga dedit.

1 Belg.
 Rom. 15.
 p. 38.

Introspeciamus, quid præ cæteris Florus habeat. Eo teste Usipetum
 primum regionem, Rheno vicinam primoque obviam, invasit &
 domuit, de Tenchteris verò & Cattis subdit statim, non domuisse
 (quod malè Orosius exscripsit) sed percurrisse. Missus in Germa-
 niam Drusus, ait, primos domuit Usipetes; inde Tenchteros percucur-
 rit & Cattos. Inde Marcomannos, quos ad Mœnum in hodiernâ
 Franconia ponunt, petens, eorum populorum spoliis quendam edi-
 tum tumulum in tropæi modum excoluit, eo loco, ubi hodie Herbi-
 polis, sive VVurtzburgum, conjectante Bucherio. Inde validissimas
 nationes Cheruscos Suevosque & Sicambros pariter aggressus est.
 Præ-

Præterea multa præsidia per Rhenum, & non procul à Rheno, aliisque Germaniæ fluviiis celebrioribus disposuit, auctorque est Florus quinquaginta amplius direxisse. *In tutelam provinciarum,* 4.12.26. scribit, *præsidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim; nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit. Bonnam & Gesoniam cum pontibus iunxit, classibusque firmavit. Invisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit.* Quem locum Flori dum curiosè considerat Philippus Cluverius, animadvertit, *Gesoniam vitiosè legi, & legendum esse Magontiacum,* 2. Germ. ant. 13. p. 376. & c. 17. p. 404. cui sententiæ planè accedit Frenshemius in Flor. p. 398. Bucherius in Belgio lib. 1. c. 17. p. 43. Cur autem tot Castella, per Rheni ripam fuerint à Druso posita, rationem ex his Taciti verbis reddes: *Sed præcipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo Legiones erant.* Castella illa videntur fuisse, ubi hodie sunt Drusenheim infra Argentoratum, Tabernæ Rhenanæ, Altripum infra Spiram, Moguntia, Castella vicus vicinus, Bingham, Vesalia, Bodobriga, Confluentia, Andernacum, Bonna, Novesium, Gelduba, Trajectus inferior, Lugdunum Batavorum, & si quæ alia. Castellis istis per varia Germaniæ flumina positis per Mosam, per Albim, per Visurgim, per Rheni ripam tutius regnum visebatur esse. In Castellis ad Visurgim putat Philippus Cluverius fuisse Castellum Chattorum, quod vulgari hodie voce **Cassel** dicatur, estque metropolis Hassiæ inferioris. De castello præfidiario in monte Tauno, cujus non procul à Moguntia faciunt situm, hodie **Heyrich** vel **die Höhe** / posita idem Cluverius capite septimo: *Audaçter tu Taunum montem, falso Gallia tributum, Germania ex sententiâ Ortelii reddas, eumque ibi habeas, qui ex adverso Maguntiaci, vulgò hodie dicitur **der Heyrich** / & nonnullis **der hohe Rück** / & **die Höhe.** Per hunc necessario Germanico ad Adranam flumen, quod nunc vulgò est **die Eder** / versus oppidum **Waldeck** rectissimo itinere tendenti, transcendendum fuit. In hoc item Castellum illud præfidiarium à Druso positum, ut disertis verbis testatur Dio. Ab Adranâ flumine Germanicus Maguntiacum revertens Marpurgium, quod tunc Martium dicebatur, rectissima via transit, simulque incendit; aperta hinc populatus ea, quæ sunt inter Marpurgiam & oppidum*

4.5.2.

3. Germ.
ant. 5. p.
528.p. 533.
534.

lib. 54.
p. 623.

1. Belg. 16.
p. 41.

*dum Burgbach / in quorum medio oppidum Giessen / aper tissim
amœnissimoque situ. Confer eundem ea lem de re 2. G. A. 13. p. 376.
De castello Drusi præfidiario ad Luppia flumen , hodie adhuc
Lippe / Dionis verba sunt , cùm de Sigambris agris : Νικηθέντες
γὰρ ὅκ τετρα ἐκ ἑὶ ὁμοίως εὐδρασύνοιο, ἀλλὰ πόρρωθεν μὲν σφᾶς παρ-
λύπεν, ἐγγύς δὲ ἐπὶ προσήεον. ὡς τε τὸ Δρεῖσον ἀντικαταφρονήσαντα αὐτῶν,
ἐκεῖ τε, ἢ ὅτε Λαπτίας καὶ ὁ Ἐλίσων συμμίγνυλαι, φρέειόν τι σφίσι ἐπιλει-
χίαι, καὶ ἕλερον ἐν Κάλτῳ παρ αὐτῶ τῶ Ῥήνω. Victi inde hostes haud aequè
ac antea cominus congredi audebant ; sed eminustantum infestavere ;
unde factum , ut Drusus vicissim iis contentis castellum contra eos
ad Luppia Elisonisque confluentes , aliudque in Chattis apud ipsum
Rhenum exstrueret. Illud munimentum ponitur in Episcopatu ho-
dierno Paderbornensi, ubi vicus adhuc Elsen, à Bucherio. Castrum
quoque in Chaucorum , Bructerorum & Frisiorum confinio ad
ipsum ferè Amisîæ ostium, ubi hodie **Embsen** / erectum, notante
Bucherio 1. Belg. 16. 4. p. 39; Cluverio 3. Germ. 18. p. 577, 578. Per
Rheni alveum, quem nunc *Isalam* vocant, & Flevum ingenti classe
Oceanum ingrediens in Amisîâ fluvio, hodie **Emß** / priusquam
ad posteriores Germanias pergeret, pugnam navibus conseruerat
Drusus viceratque Bructeros. De Fievo legendus Cluverius de
Rheni alveis c. 24. p. 218, 219, 220, 221, 222; & in German. antiq. 1. 3.
c. 17. p. 562. Sunt notæ etiam ad tutiorem itionem & reditionem
Fossa, Drusiana Suetonio & Tacito vocatæ, quas è Rheno in Isa-
lam, ubi hodie vicus **Isaloorth** / duxit, oppidumque adjecit, quod
Germani aliquamdiu *Drusiburgium*, & ejecto r *Dusiburgium*, ho-
dieque adhuc **Dußburg** / quod Clivensis Ducatus oppidum, vo-
cârunt , de quibus Drusi fossis Cluverius 3. Germ. 17. p. 563, 564;
item libr. de Rheni alveis c. 25. p. 222, 223, 224. de Batavorum Ca-
ninesfatiumque oppidis & castellis, deque eorum finibus, ut & de
tribus Rheni alveis & ostiis, ubi egerant Romani, inter Cosmogra-
phos non bene convenit, de quorum litibus videri possunt Clu-
verius 2. Germ. antiq. 33. 34. 35. 36. p. 468. &c. & in peculiari com-
mentario de tribus Rheni alveis & ostiis, cum quinque populis accolis
Leidæ 1611. edito. Isaacus Pontanus Disc. Chorog. de Rheni di-
vortii, ostiis, populis Amstelodami 1614. Rivius 1. Histor. med. nav. 7.
p. 20. 21. 22. 23. 24. De Rheni abactione ac Drusi mole, ejusque loco
atque*

atque occasione structuræ, agit Isaac. Pontanus *Discept. Chorogr.* de Rhēni divortii II. & 12. p. 34. seqq. Cluverius de Rhēni alveis c. 6. p. 43, 44. Rhenum cum ponte ubi conjunxerit, tradit Birckheimerus *Oper. p. 98*; & ubi trophæa posuerit, in *German. descr. p. 23*, ubi locum putat fuisse trophæorum circa Fuldense Monasterium. Nemo hæctenus in Germaniâ majores fecerat progressus quàm Drusus, qui inter gloriam raraque ætatis ornamenta dum Romam tendit, moritur anno ætatis xxx, Germanici cognomen una cū Filiis capiens. Ubi obierit paucis exponit Strabo: Μετὰ τὴν Σάλας καὶ τὸ Ῥήνιον πολεμῶν ὁ Δρῦσος ἐτελεύτησεν ἁ Γερμανικός. *Inter Salam & Rhenum bellum gerens Drusus Germanicus obiit.* Obiit ex fracturâ, equo supra crus ejus collapso, tricesimo die quàm id acciderat, intra Salam & Rhenum fluvios; uti non tam ex Strabone quàm ex Livii Epitome & Paterculo colligitur. Ast Dio lib. 55. p. 627, 628. morbo consumptum scribit, ostentoque, cū populando ad Alvim usque pervenisset, consternatum. De utroque legatur Cluverius de Rhēni alveis cap. 22. p. 210, 211, ubi docet Isalam malè intelligi. Consternatus obitu fuerat totus exercitus, non solum mestus, sed etiam attonitus, corpus Drusi sui sibi vindicans, teste Seneca, utque venerationem suam testaretur Tiberius, in cujus complexu mortuus fuerat, funus pedibus toto itinere prægrediens Romam usque pervexit. Corpus Romam pervectum, & in Julii tumulo conditum, in Martio campo apud Dionem l. 55. p. 628, Γερμανικός τε μετὰ τὰ ῥωμαίων ἐπονομασθεὶς, καὶ τιμὰς καὶ εἰκόνων, καὶ ἀψιδῶν, κενόταφίς τε πρὸς αὐτῶν τῶν Ῥήνων λαβὼν. *Germanicique cognomen ei & Filiis datum, honoresq; statuarum, fornicum, & honorarii tumuli ad ipsum Rhenum dati.* Unde Ovidius:

Et mortem & nomen Druso Germania fecit;

Me miserum, virtus quàm brevis illa fuit.

Jure ita queritur Ovidius, erat enim adolescens, tot tantarumque virtutum, Vellejo dicente, quot & quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit, cujus ingenium, utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. Periit autem in ipso vigore adolescentiæ, non quidem inter prælia Germanorum, sed lapsu, illum enim magna parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis locis perfuso sanguine, fatorum iniquitas, Con-

L

lem,

lib. 7. p.
201.Cons. ad
Pol. c. 34.

p. 593.

Suet.

Cland.

c. 7.

p. 166.

I. Fast.

v. 597.

2. 97.

p. 84.

lem, agentem annum tricesimum, rapuit, eodem Vellejo ajente; e-
jusque de morte præmaturâ Pedonis Albinovani Elegia egregia
extat, ejusque initio:

Occidit exemplum Juvenis venerabile morum,

Maximus ille armis, maximus ille togâ.

Tac. 3. A.
5. l. & 1.
A. 33. 3.

lib. 55. p.
628.

Consol. ad
Marc. c.
3. p. 600.

Alex. c.
63. p. 355.

Amiserat in Druso Augustus dimidium animæ & mentis, qui in
Drusum honora & magnifica fecit; tantaque erat Drusi apud popu-
lum Romanorum memoria, ut crederetur, si rerum potitus foret, liber-
tatem redditurus. De Exequiis legendus Tacitus 3. Ann. 5. Suet. in
Claud. c. 1. p. 275, & ibi Torrentius p. 342. Duos reliquit filios, Ger-
manicum, Virum optimum, de quo Suet. Calig. c. 3. 4. 5. p. 222, 223,
224, & Claudium, Virum pessimum, postmodum Imperatorem.
Laudatio funebris peracta duplex, una à Tiberio pro rostris; alte-
ro in Circo Flaminio ab ipso Augusto; sic enim Dio: Διπλῆς ὁ Ἐπι-
τάφιῳ ἐλέχθη, ὅ, τε γὰρ Τιβέρεος ἐν τῇ ἀγορᾷ αὐτὸν ἐπήνεσε, καὶ ὁ Ἀυ-
γύστου ἐν τῷ φλαμινίῳ ἵπποδρόμῳ. Duplex Drusi laudatio, una à Ti-
berio in ipso foro, altera in Flaminio hippodromo ab Augusto habita
fuit. Quo animo profecuta fuerat Drusum Livia, quo favore popu-
lus, Seneca egregiis descripsit verbis: *Livia amiserat filium Dru-
sum, magnum futurum Principem, jam magnum Ducem. Accede-
bat ad mortem, quam ille pro Rep. obierat, ingens civium provincia-
rumque & totius Italiae multitudo, per quam effusis in officium lugubre
municipiis coloniisque usque in urbem ductum erat funus triumpho
simillimum. Non licuerat Matri ultima filii oscula gratumque ex-
tremi sermonem oris haurire, longo itinere reliquias Drusi sui prosecu-
ta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi totiens illum amitte-
ret, irritate. Ut primum tamen intulit tumulto, simul & illum, & dor-
lorem suum posuit, nec plus doluit, quam aut honestum erat aut Cæsa-
re, aut a quo majus. Non desuit Drusi sui celebrare nomen, ubique illum
sibi privatim publiceque representare, & libentissimè de illo loqui, de
illo audire; cum memoriam alterius nemo posset retentare, quin illam
tristem sibi redderet. Cenotaphium in Germaniâ Moguntia adhuc
habet, Romæ sepulchrum. Sic Cenotaphium in Galliâ Alexander
Severus, Romæ sepulchram habuit, teste Lampridio. Monstratur
adhuc Moguntia miri operis structura, tantæ adhuc firmitatis, ut
nullâ operum arte frangi queat, constat enim ex solidissimâ materiâ,
ut*

ut sunt Romanorum veterum opera passim, quod Cenotaphium aliquoties cum admiratione lustravimus. Illa verò moles *Glandis lapis, der Eichelstein* / vocatur, à figurâ scilicet, quam præ se fert, nam Pyramidis figuram habuisse quondam sicut qui opinentur, cujus iconem exhibet Jac. Huttichius in Antiquit. Moguntinensibus. Altitudinem habebat, Jacobo Spiegelio vidente, centum pedum, & planiciem in cacumine pedum octo. Basis in circuitu patet centum & duos ac triginta pedes. Poetæ autem verba sunt:

*Sic memorant ubi busta Ducis subjectaque moles
Visitur, adscitis quæ dat cognomina terris.*

Meminit ejus honorarii sepulchri Otho Frisingensis 3. Histor. 4. fol. 28: *Cæsar per Cl. Drusum Galliam & Rhetiam in provinciam redegit; Noricos, Illyricos Pannonios, Dalmatas, Masios, Danos, Thracæ per Duces suos vel subegit, vel maximorum fluviorum Rheni & Danubii objectu seclusit. Hic Drusus Moguntiam in Galliâ, & Augustum in Rhætiâ, quæ antea Vindelica dicebatur, ex nomine Augusti vocatam, fundasse vel instaurasse dicitur. Monstratur adhuc monumentum ejus Moguntie in modum piræ. Ad hunc locum quidam manu adscripserat, in loco telonii lapidem unâ cum imagine videri, cujus sit inscriptio: In memoriam Drusi. Meminit Georgius Fabricius Itinere Argent. p. 451.*

*Vidimus hic grandem Glandis cognomine molem,
Romani Druso quam constituisse feruntur,
Cui mortem & nomen victrix Germania fecit.*

De Drusi trophæis & monumentis in Germaniâ Blondus Flavius 10. Triumph. Rom. p. 203. Rosinus 10. A. R. 29. p. 1627 ibique Dempsterus p. 1674. Nec adhuc desit memoria nominis inter Germanos passim; sicuti ipsum Drusi nomen in perpetuam memoriam transivit apud gentem nostram, nam apud *Belgas & Westphalos* usitatum adhuc, ut imprecando frequentius meminerint vocis *Drues* / hac vel simili locutione: *Das dich die Drös ers stoß / daß dich die Drös hol / Auferat vel perdat te Drusus*, quod volunt desumptum à Druso illo Romano, qui victor trux vastaverat aliquot Germaniæ regiones multaque dira & crudelia patraverrat, sic ut nomen illius abominentur etiam posterius, & sibi invicem imprecantes dicant: *Ut te Drusus perdat.* Ita sentiunt Dresserus

*in lib. 7.
Austriac.
Bartolini
p. 596.*

*Reus.
Itin. l. 6.
p. 451.*

Ifag. histor. part. 1. p. 505, Scheræus Miscellan. p. 159; Beyerlingk
 Theatr. Volum. 1. p. 5. Repente finis venit Drusi, qui vix cæperat
 operari, & melius perrexisset, si fata sivilent; Tiberius verò bene
 cæperat, non perfecerat, cui Numen divinum indulgentiam dedit
 ulterioris spatii quàm Druso, in pænam Romanorum. Sub auspi-
 ciis Augusti Tiberius non tam in *Dalmatiâ & Pannoniâ*, quàm
Germaniâ Rectorem egit militiæ, egregiè sed ante Principatum,
 nam postmodum totum fuisse immutatum percepimus; ita ut & hîc
 aliud in manibus habuerit, aliud in cogitatione; sicut de ejus de-
 fidiâ, cum jam esset in imperio, Eutropius ait: *Nusquam ipse pu-
 gnavit, bella per Legatos suos gessit.* A morte Augusti duplex seditio
 in exercitu oritur, una in Illyrico, altera in Germania, eleganter &
 copiosè descripta Tacito 1. Annalium. Tumultuante itaque milite,
 multisq; Tiberium hortantibus, ipse occurreret, & Majestatem im-
 peratoriam opponeret, *ei fixum fuit, non omittere caput rerum,*
 (Romam) *neque se remque publicam in casum dare* apud Tacitum.
 Legiones Frater Drusus moriens Tiberio occurrere jubet, & pa-
 rere; nam, quæ Valerii verba sunt, *eo ipso, quo vita & mors distingui-
 tur momento, Legiones cum insignibus suis Fratri obviam procedere
 jussit, ut Imperator (exercitûs) salutaretur. Precepit etiam dextrâ in
 parte Prætorium ei statui, & Consulare & Imperatorium nomen
 obtinere voluit; eodemque tempore & fraternæ majestati cessit, & vita
 excessit.* Moles deinde belli drusiani translata in Neronem est; quod
 is, Vellejo dicente, *sua & virtute, & fortuna administravit, pera-
 gratusque victor omnes partes Germaniæ, sine ullo detrimento commissi
 exercitûs, quod precipuè huic Duci semper cura fuit, sic perdomuit
 eam; ut in formam penè stipendiariæ redigeret Provinciæ.* Novies
 Germaniâ adiisse ipse de se scribit, & quòd in Germaniâ periculosius,
 eò sollicitius bellum gessit; cum enim antea nihil non de consilii senten-
 tiâ ageret, *se uno contentus, post Varianam cladem præter consuetu-
 dinem cum pluribus de ratione belli communicavit; curam quoque so-
 lito exactiorem prestitit.* Consultè rem gerit, edoctus Vari clade,
 quem inconsultò bellum gessisse conquerebantur. Magnâ ostenta-
 tione bellum hoc venditat Vellejus, qui cum Dione est commit-
 tendus, nam hîc recensens Tiberii ad Albim usque progressum,
 expressè ait *μὴ δὲ τι ἐπιμνημόνευτον, nil memoratu dignum, fuisse ge-
 stum;*

lib. 7. p.
654.

1. 47. 1.
Ann.
5. Ex. 5.
p. 219.

2. 97. p.
84.

2. A. 26.

4.
Suet. c.
18. p. 176.

lib. 55. p.
650.

stum; inde tamen *Αυτογκάτορ*, Imperatoris nomen accepisse; sicut Hieronymus quoque ejus meminit, scribens: *Tiberius vastatâ Germania Imperator appellatur. Idem ibidem: Tiberius de Rhetiis, Vindeliciis, Armeniis ac Pannoniis triumphavit. Vellejus verò: Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, praesidia munit, se magnitudine sua, non fiducia hostium, metiens; ultra Rhenum cum exercitu transgreditur. Quomodo regreditur? In urbem post biennium regressus triumphum, quem distulerat, egit. Prandium dein populo mille mensis, & congiarium trecentos numos viritim dedit. Dedicavit & Concordiæ ædem; item Pollucis & Castoris, suo Fratrisque nomine de manubiis. De Concordiæ fano extracto & consecrato legendus Dio lib. 55 in A. 747. p. 633; & lib. 56. in A. 764. p. 671. Militavit sub Tiberio Vellejus, de quâ forte suâ ipse agit in Historiâ suâ, ajens inter alia: *Ego tecum Imperator in Armenia, ego in Retia fui. Ego à te in Vindeliciis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum. Dedit ex Vellejo Bucherius, quæ de hoc scripsit bello, 1. Belg. Rom. 18. p. 44, 45, & lib. 2. cap. 10. p. 88, 89, 90, c. 11. p. 92, 93; quò lectorem, brevitati studentes, dimittimus. Post secundam Tiberii in Germanos expeditionem Dalmaticum & Pannonicum bellum à Tiberio confectum fuisse Dio memorat, Batone quodam eos maximè concitante, qui tandem colloquium de Pace petiit, congressusque cum Tiberio bellum composuit. Hunc Batonem, Pannonium Ducem, ingentibus donatum præmiis Ravennam transtulit, gratiam referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset evadere. Ob res antea in Pannonia feliciter gestas τὰ ἐπιwinia ἐ-ἑνφίῳ, triumphum decrevit, quem ut duceret, Augustus non permisit, ejus v. loco τὰς τιμας τὰς ἐπιwinias, triumphales honores, concessit. Idem quod vivente adhuc Druso Dalmatas & Pannonios coercuerat, ovans in urbem Equo invehctus fuerat, notante Dione lib. 55. p. 628. Sic habuimus Tiberium auspiciis Augusti ante Principatum adeptum bella aliquot prosperè gessisse, crebrasque ex hostibus victorias reportasse. Testante Suetonio Augustus Tiberium Epistolis aliquot, ut peritissimum rei militaris, utque unicum populi Rom. praesidium, proferebatur, è quibus nonnulla verba comtiora attulit, ibi legenda. Monumenta Romanorum in Germania & Pannonia extantium**

Chron.
Euseb. ad
Olymp.
193. fol.
69.
2.120. p.
101.
Suet. c.
20. p. 177.

2.104.
p. 89.

lib. 55. p.
650, 651,
652, 654.

Suet. in
Tib. c. 20.
p. 177.
Dio lib.
54. p. 622.

c. 21. p.
178.



tantium digna essent quæ uno volumine vulgarentur, unde multa possent doceri. Monumenta nonnulla Romanorum in Bavaria recenset Aventinus i. Annal. Bojar. à p. 69. ad pag. 80. Quæ sint *Vienne*, *Lazius* Comment. Reip. Rom. p. 124, 214, 238, 242, 270, 276, 333, 386, 387, 405, 502, 544 exhibet. Quæ *Moguntia* videantur, non sine delectatione collegit ante centum annos peculiari volumine Joh. Huttichius, quod opus rarissimum dum legendum dederam Amico, is insigne Drusi Monumentum sublegit turpi mutilatione libri. Quæ non tam à Druso, sed & aliis Romanis, in provinciis, secus Istrum & Rhenum conquestis, gesta atque constituta fuerint, prosequitur diligens rerum Germanicarum illustrator VVolfg. Lazius in Rerum Austriacarum Commentariis, etiam in hoc curiosus, quomodo confederint è Romanis plurimi in Germania; quæ urbes, quæ coloniae, municipia, castra, loca, à Romanis in diversis expeditionibus per Germaniam vicinasque regiones Pannoniam & Daciam, sive erecta, sive renovata, fuerint, utili labore cum recensione nominum veterum & recentium; sed quàm difficulter hæ, sive migrationes & propagines, sive mutationes & vicissitudines indagari queant, de eo non frustra differit idem Lazius Præfat. & Tractatu de Migrationibus gentium, hinc inde inquirens Majorum nostrorum primas politias, veterum incolarum vestigia & reliquias, populorum successiones, mutationes nominum & provinciarum, genealogias Principum & Comitum, sive à Romanis venientium ad Germanos, sive à Germanis ad Romanos, quæ certè inquisitio non tam jucunda quam utilis est, licet admodum difficilis.

8. Germanicum, Drusi Fratris filium, successu rerum in Germania clarissimum timeans, Romanam sub specie honoris revocat, in Orientem ad res gerendas amandat, & veneno per Pisonem tollendum curat.

Fama nominis ob præclara militiæ monumenta Drusi, per Germaniam erecta, & in Germanicum Filium, fama parem, translata,

ta, perpetim inclruit. De illa Drusi fama vidimus, nunç de hac Germanici agendum, sed intra cancellos. *Fama in posteros pulcherrimum premium*, ait Tacitus, belloque intentus Germanicus famam militiæ facilem habuit. Famam eam meritò non neglexit, nec insuper habuit, quæ de se dicerentur, sed tentabat militum suorum animos erga se, maximè rebus periculosis; nam *propinquo summe rei discrimine* (observa tempus) *explorandos militum animos ratus*, quoniam id modo *incorruptum foret*, *secum agitabat*. Tribunos & Centuriones *lata sæpius, quàm comperta nunciare*; Libertorum *servilia ingenia*; amicis *inesse adulationem*, de nocte egressus *augurali*, per *occulta & vigilibus ignara*, comite uno, *contectus humeros ferina pelle*, *adit castrorum vias*, *adsistit tabernaculis*, *fruiturque fama sui*; cum *hic nobilitatem ducis*, *decorem alius*, *plurimi patientiam*, comitatem, *per seria*, *per jocos eundem animum laudibus ferrent*. Germanicus ad salutem Reipublicæ datus *sapientissimè & dexterrimè* egit in militiâ, cui potior erat publicæ quàm privatæ rei cura, qui singulari cum gloriâ & in virtutis splendore obiit, vivitque adhuc fama in sermonibus & monumentis scriptorum. Quid poterat dici illustrius, quàm quod ait Suetonius: *Omnes Germanico corporis animique virtutes, & quantas nemini cuiquam contigisse satis constat, formam & fortitudinem egregiam; ingenium in utroque eloquentiæ & doctrinæ genere præcellens*. Earum virtutum fructum ut ferret, tantopere probatus & dilectus *adoptandus* Tiberio datur ab Augusto, *dum cunctante, an sibi successorem destinaret*. Causam adoptionis legitimus libro primo Institutionum Titulo de Adoptionibus §. penultimo. *Divus Augustus non antea Tiberium adoptavit, quàm is Germanicum adoptaverit, ut adoptione facta incipiat Germanicus Augusti Nepos esse*. Adoptatus à Tiberio patruo *Quæsturam* gessit A. V. 757 anno ætatis undevigesimo, & septem annis post Consulatum gerit annum agens 27, Sueton. Calig. c. 1. p. 221, ibique Casaubonus p. 405. Postquam gesserat Consulatum, in Germaniam mittitur, ut *reliqua belli patraret*, vindicaretque *cladem Varianam*; bellum enim eâ tempestate Romanis nullum, nisi *adversus Germanos* supererat, *abolèda magis infamie, ob amissum cum Quinto Varo exercitum*, quàm dignum ob pretium, confitente Tacito. Diligenti stylo res gestas Germanici contra Germanos persequitur Tacitus, ex quo

II. A. 6. 1.

Tac. 2. A.

12. 3. 4.

in Caj. c.

2. p. 222.

Suet. c. 4.

p. 224.

Vellej. 2.

123. p. 103.

3. Belg.

Rom. 4.5.

6.7.p.

106. seqq.

1. Ann.

56.

de Arc.

Reg. c. 39.

p. 502.

quo per quatuor capita deducit Cl. Bucherius ea, quæ in hanc rem scripsit; & ante eum, quidquid Aventinus collegit in Annalibus, diligentia & stilo Taciti debetur. Majora præstarentur, si quæ Livii & Plinii curioso calamo scripta fuerant, præsto essent. Ut *Germania Taciti*, sic ejus *Annalibus* nil nobis acceptius, è quo nonnulla huc conferemus, ut multa interea vacent. Diligentissimè omnium Romani disciplinam militarem resque bellicas coluerunt, belli pacisque artibus quondam inter mortales clarissimi. Germania spatium campumque, nec non exemplum, exercendæ militiæ dedit amplissimum, quam tamen in obsequium redigere totam nunquam potuerunt. Princeps belli clarissimus *Germanicus* penè sub mortem Augusti mittitur in Germaniam, variâque belli fortunâ probè exercitus, nec eo tamen confecto, domum redit. Incipiamus à *Chattis*, hodie *Hessis*, quos dum Germanicus ex improvilo invadit, *Cheruscis*, (hodie *Brunsvicensibus* & *Lunenburgensibus*) in animo fuit auxilium vicinis submittendi, sed à *Cecina* fuere prohibiti, de quo Tacitus: *Germanicus quatuor Legiones, quinque auxiliarium millia, & tumultuarias catervas Germanorum cis Rhenum colentium Cecina tradit; totidem Legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit, positoque Castello super vestigia paterni presidii in monte Tauno (hodie *der Heyrich*) expeditum exercitum in Cattos rapit; L. Apronio ad munitiones viarum & fluminum relicto..... Catts adeo improvisus advenit, ut, quod imbecillum ætate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit; juvenis flumen Adranam (hodie *die Eder*) nando transmiserat, Romanosque pontem ceptantes arcebant..... Caesar incenso Mattio, id genti caput (hodie *Warpurg*) aperta populatus vertit ad Rhenum, non auso hoste terga abeuntium laceffere. Fuit animus Cheruscis juvare Cattos, sed exterruit Cecina, huc illuc ferens arma. Cheruscorum Princeps unus erat *Segestes*, civitate Romanâ ab Augusto donatus, qui Romanis fidus pacem quàm bellum probabat, quemque à validiore Genero suo *Arminio* circumfessum Germanicus magna cum *Propinquorum Clientiumque manu eripuit*, inque libertatem asseruit, 1. Ann. 57. n. 1, 5. Eadem natio atque idem Germaniæ districtus, *Arminium* protulit, omnia pro libertate Patriæ, & *Segestem*, omnia pro servitute molientem, docente *Lentulo*. *Segeste* recepto, datâque *Liberis* & Pro-*

Propinquis incolumitate, in Germanicum & Segestem iratior factus Arminius volitabat per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Casarem poscens, neque probris temperabat, 1. A. 59. 2; tractoque in partes Patruo Inguiomero major Casari metus, & ne bellum mole unam ingrueret. Germanicus cum XL cohortibus Romanis distrabendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit Cæcinam; Ipse vero impositas navibus quatuor Legiones per Lacus, hodie **Suyder See** vexit, simulque pedes, eques, classis apud prædictum amnem convenere. Bructeris deinde fusis ventum ad Teutoburgensem saltum, ubi infelix illa Vari pugna fuerat, reliquæ lectæ & humatæ, ipso Germanico ad pietatem eam præeunte; primum enim extruendo tumulo cespitem posuit, gratissimo munere in defunctos; quod Tiberio tamen haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti: sive exercitum imagine casorum in sepulcorumque, tardatum ad prælia, & formidolosiores hostium credebat, memorante Tacito 1. A. 62. n. 2, 3, ibique Lentulus de Arc. Reg. c. 42. p. 524, 527. Pugna mox dubia cum Arminio, nec Romanis satis prospera, manibus equis tamen abscessum, c. 63. n. 3. Mox Cæsar reducto ad Amisiam exercitus Legiones Classe, ut advexerat, reportat, per æstuarium sc. ac lacum. Pars Equitum litore Oceani petere Rhenum iussa. c. 63. n. 4. Duas Legiones itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradidit. Litus Oceani intelligit ripam continentis terræ Frisiæ, non insularum Frisiæ adjacentium, Cluverius, qui non tam in hoc litus Oceani, quam vadisum mare, quod **Watt** dicunt, inquit de Rhén. alv. c. 23. p. 213, 214. c. 25. p. 225. 226, 227. Maxime in his bellis Germaniæ, diversâ vice per Romanos gestis, inclaruit *Arminius*, (id est *Heermann*) ad arma natus, in quo Germania reposuit plus quam in aliis Ducibus, liberator haud dubie Germaniæ, elogio Taciti, & qui non primordia populi Rom., sicut alii Reges Ducesque, sed florentissimum imperium lacefferit, præliis ambiguus, bello non victus. Is ad subita belli paratus subactum militem in promptu habere solebat, rei militaris callidissimus, sed cum spectatissimus à milite etiam suo decipi queat, acciderat, ut succubuerint Germani propria culpa prælio illo, quod in paludibus Arminius feliciter aggressus fuerat contra Cæcinam, Romanis prorsus consternatis & ad angustias reductis, nisi milites tunc Arminii maluissent prædam captare, quam victoriam perfe-

M

qui.

1. A. 60.

2.

num. 4.

2. A. 88.

4.

1. Ann. 65. n. 5. 6. qui. *Plurimus tunc circa Aquilas labor, quæ neque adversum ferri ingruentia tela, neque figilimos à humo poterant. Cecina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima Legio se opposuisset. Inuit hostium (Germanorum) aviditas, omisâ cæde prædam sectantium, enisæque Legiones vesperscente die in aperta & solida. Panico tunc terrore dilapsi Romani unum jam reliquum diem lamentabantur, sed vanâ formidine, Germanis nimiâ fiduciâ victoriam amittentibus; altero que die cadebant ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti Germani. Arminius integer; Inguiomerus post grave vulnus pugnam deseruere. Romanus tantò intentior, quantò miserior, altero die, nocte trepidè superatâ, fit victor. In belli felicitate acrius vigilandum est, ne securi simus, quia periculosior inde res prospera quàm adversa. Cecidisse vident Romanos Germani, & dum res adversas timent Romani, prosperis autem suis abutuntur Germani prædis inhiantes, prius vincuntur, quàm qui victi erant. Hoc peccatum sæpe in bellis fieri aslolet, ut victor in ipsâ victoriæ offâ suffocet seipsum. Prædæ, victrices offæ, multis gulam fregerunt. Distribuendis in varias partes armis intentus Germanicus terrestri militiæ addere Classicam placuit, gnarus, quàm rudes essent ad classariam Germani. Igitur novâ ratione & mari eos aggreditur. Nauticâ pugnandi arte non Germani valebant, non nisi terris assueti & sylvis. Eâ occasione Germanicus, cùm vix idoneum videret hostem pugnandi per mare aut lacus, celeriter Classem comparat, ut brevi tempore mille navium classis in anchoris per Insulam Batavorum steterit. Fabricandæ Classi in Rheno, Scaldi & ad Oceanum Silius, Cecina & Antejus præponuntur. Mille naves sufficere visæ properataque, aliæ breves angusta puppi proraque, & lato utero, quò facilius fluctus tolerarent. Quædam planæ carinis, ut sine noxa siderent. Plures appositis utrinque gubernaculis, converso ut repente remigio, hinc vel illinc appellerent. Qua erat rerum nauticarum peritiâ, invenit Naves ambiguas, inter longas & rotundas, h. e. inter bellicas & onerarias, fastigiatis & acuminatis proris, secandis fluctibus, adhibitis à prorâ & puppi gubernaculis, ita ut conversis quò vellet remis, facile naves vorticibus & flexuosis canalibus extricarentur. In laudem hinc Rivius: *Multi sæpe Duces navibus novandis animum adjecerunt, sed nemo unquam Germanico solertiùs; quicquid**
2. A. 6. 2.
1. Hist. nav. med. p. 25.

quicquid enim alii prius adinvenērāt, id omne sua classi instruenda nulla invidia adhibuit, carinas nempe ad vada transmittenda planas & tabulata ad tormenta ferenda toto fororum spatio strata. Sed in eo omnes ante se Romanos Græcosque & Punicos Imperatores inventionis acumine superavit, quod non solum proram puppimque pariter acuminatas fecit, verum etiam utrique gubernaculum appendit, in eum scilicet finem, ut si in angustos flexuososque canales, & veluti angiportus maris, quæ progredi non licebat, incidissent, conversis saltem remis, tuto & expedito via, qua venerant, redire possent. Fervorem, studium & laborem videmus in tanta classe comparanda, quæ major quàm ipsa aquarum multitudo videtur. Navigaturus supplicabat, ut exaudiret Numen, utque Patris Drusi gauderet fortuna, precatus Drusum, ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvarct. It inde lætus per Drusi fossam, in Geldriâ à dextro Rheni cornu & vico Heloort ad Isalam amnem & oppidum Duisburg, ut per eam viam classem à superioribus Rheni in lacum Zuider Zee Oceanumque deveheret. Inde Amisiam flumen, hodie Ems, in cuius ostio Embda Urbs, petit. Dum vigili cura magna que celeritate navalem in Cheruscos expeditionem meditatur, dumque adiguntur naves, Silium Legatum cum expedita manu irruptionem in Chattos facere jubet. Ipse audito Castellum Lupiæ flumini appositum obsideri, sex Legiones eò duxit, cuius celeritatis & laboris fructum expendit Lentulus. Fructus Chattiæ impressionis fuit, modica præda, & Arpi, Principis Chattorum Conjugis cum Filia raptus. Præludium illud belli in Chattos fuit; inde seriatim copiarum ad Visurgim profectio, stabat autem Germanorum acies trans Visurgim. Transeunt flumen Romani, interque eos Dux Batavorum Cariovalda, qui auxilio venerat, primum facit impetum, quem Cherusci fugam simulantes in planitiem saltibus circumjectam traxere; dein coorti & undique effusi tridunt adversos, instant cedentibus, collectosque in orbem pars congressi, quidam eminus proturbant. Cariovalda, diu sustentata hostium sævitia, hortatus suos, ut ingruentes cateruas globo frangerent, atque ipse in densissimos irrumpens, congestis telis & suffosso equo labitur, ac multi nobilium circa. Germanicus inde Visurgim transgressus Arminium prælio adgreditur in campo Idistaviso, quem ab urbe Brema mare versus duobus circiter mil-

2. A. 8. I.

2. A. 7. I.

Aul. Tib.
l. 2. n. 17.
p. 27.2. Ann.
11. 3.

c. 16. I.

in Tac. p. milliaribus abfuisse, hodieque **Vegefac** dici Lipsius putat, à quo
 49. dissentit Cluverius, qui locum **Eysdorp** inter oppidum Minden
 3. *Germ.* & Oldendorp designat. Prælium fuit atrox, Arminio & Germanis
 14. *p. 554.* infaustum, à Germanico celebratum trophæo, milite loco prælii
 fruente aggerem, & in modum trophæorum arma, subscriptis victa-
 rum gentium nominibus, imponente, 18. A. 2. Laudatis pro concione
 victoribus Germanicus struxit congerie armorum trophæum super-
 bo titulo, ipse ut vocat:

2. *Ann.*

22.

DEBELLATIS INTER RHENUM ALBIMQUE
 NATIONIBUS EXERCITUS TIBERII CÆ-
 SARIS EA MONIMENTA MARTI ET JOVI
 ET AUGUSTO SACRAVIT.

c. 22. 2.

10. *Hist.*
nav. p.
 28, 29.

Rebus his sic confectis, & Angrivariis in deditioem receptis, milites classe reducti, sed cum clade & penè exitio omnium ex tempestate attriti. Tranquillitas fluminum & undarum, quam non metuebat, obfuit, cum præter spem turbarentur aquæ, aliàs tranquillæ, clademque darent; ingenti siquidem tempestate Germanici Naves usquequaque disjectæ, aut in aperta Oceani, aut Insulas saxis abruptas, vel per occulta vada infestas, & in Britanniam usque raptæ, quæ legi fusè possunt apud Tacitum 2. A. 23, 24, 25, 26; de quo tristi naufragio scripsit Ruvius: *Germanici è Germania cum classe reditus non perinde latus erat, atque accessus fuerat. Redeuntem infanda tempestas invasit, disjectamque toto Occano classem ad nostras has, Orcadasque & Ebulas insulas allisit. Magna certè tante Classis pars fluctibus hausta periiit. Quid? quod ipsa, qua Germanicus utebatur, triremis vim maris agrè, nec nisi lacera undique, & avulsis armamentis aufugit? Tantus certè Germanicum, ob cladem sua, ut ipse interpretabatur temeritate & culpa acceptam, seu dolor seu pudor ceperat, ut vix sibi, quin vim vite sue inferret, temperaverit. Tiberius agrum animi datis literis consolatur, id unum agens, ut eum inde primo quoque tempore abstraheret. Cladis enim naufragio accepta famam ipsè Germanicus terrestribus præliis & victoriis de Cheruscis, Cattis aliisque interioris Germania populis mira virtute & felicitate partis, capta statim terra aboleverat; nec dubitabat, quin brevi admodum, si con-*
 cede-

eederetur, spatio, totam Germaniam Romana ditionis & pacatam fa-
 ceret. Militem etiam sua quemque ex naufragio damna profiteri jus-
 sit, & juxta professionem resarcivit. Quæres invidiam & metum Ti-
 berio impensius auxit, & recentem in super causam, juvenem tanta
 indole præditum properantiùs domum revocandi & demum perdendi
 præbuit. Casum naufragii indignè admodum tulit tantus Dux, quod
 mireris, quem per omnes illos dies noctesque apud scopulos & promi-
 nentes oras, cum se tanti exitii reum clamitaret, vix cohibere amici,
 quo minus eodem mari oppeteret. Ubi hinc in adversis animus! Abfor-
 ptusne fluctibus! Dicit in ecstasi, ad quid me repulisti, Neptune?
 Conturbatur in malis fortis, suspirat, succumbit, & tantum non de-
 sperat. Cursus Germanici in ipso fælicitatis contra Germanos cur-
 su intercipitur, magnoque Germaniæ bono Germanicus per Ti-
 berium in Patriam revocatur; crebris siquidem Epistolis mone-
 bat Tiberius, rediret ad decretum triumphum, 2. A. 26. 3; factumq;
 Romæ C. Cælio L. Pomponio Coss. triumphus de Cheruscis, Cattis
 & Angrivariis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt; vecta
 spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, præliorum, bellumque,
 quia conficere prohibitus erat à Tiberio, pro confecto accipiebatur. 2. 41. n. 3.
 Triumphatum verò quarto imperii Tiberii anno notat Orosius 7.
 4. p. 578. Retrahitur invitus à copiis in urbem Germanicus, & de
 Nationibus intra Albim & Rhenum triumphant prius Romani
 quàm domitæ hæ nationes essent, triumpho verè vano & tumido,
 quia bellum, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipieba-
 tur. Nondum bellicam virtutem fractam, neque Romanos victo-
 res Germaniæ discessisse docet Cl. Lentulus, Germanorum arma de Ars.
 Romanis superiora exponens. Germani interim bello gravissimo Reg. c. 6.
 liberati recipere libertatem, trucidatas legiones jactabant, bel- 9. 6. p. 191.
 lumque abruptum notat Tacitus, Arminium præliis ambiguum, 2. Ann.
 bello non victum dicens, nec missi alii post Germanicum, qui reli- 88. 4.
 quias belli persequerentur. Vanâ itaque jactantiâ visus Romæ tri-
 umphus, ductique aliqui Germani in pompâ, Sesithacus, Segime-
 ri Cheruscorum Ducis Filius, ejusque uxor Rhamis; Thumelicus,
 filius Arminii triennis cum matre Thusvelda; Theudorix, Sicam-
 ber; Libys, Chattorum Sacerdos, alii que multi, quos à Tacito præ- lib. 7. p.
 termisso Strabo memorat, qui eo tempore vixit. Vidit trium- 202.
 phum

3. de Pont.
4. v. 57.

phum Segestes, Cheruscorum Rex, ut amicus Romanorum, Arminii focer, eodem Strabone teste. Palpum fert verò Ovidius Rufino, misso ei libro de Triumpho Germanici, significans primùm suum dolorem, quod ei triumpho ipse non interfuerit. Deinde excusat ruditatem ejus carminis, quod duces & gentes sibi fuerint incogniti; & demum vaticinatur fore iterum triumphatorem Germanicum de populis habitantibus juxta Rhenum, idque vaticinium asserit esse verum, quod Poetæ impulsu spiritu divino scribant sua carmina.

*Quo pede nunc utar, dubia est sententia nobis,
Alter enim de te, Rhene, triumphus adest.*

*Irrita votorum non sunt præsagia Vatum,
Danda Iovi laurus, dum prior illa viret.*

Nec mea verba legis, qui sum submotus ad Istrum,

Non bene pacatis flumina pota Getis.

Ista Dei vox est; Deus est in pectore nostro,

Hoc duce prædico vaticinorque Deo.

2. Ann.

41. 4.

Consol. ad

Marc. c.

13. p. 508.

c. 51. p.

201.

Vidit & aspectavit triumphantem Germanicum lætanti vultu *Populus Romanus*, cujus ingenitus amor erat in Germanicum, ejusque liberos. *Germanici triumphantis*, inquit Tacitus, *augebat intuentium visus eximia ipsius species, currusque quinque liberis onustus.* Contrà aliquando Pop. Rom. *non sine motu vacuum liberis Pauli triumphantis currum aspexit*, teste Seneca. Vidit oculo livido Tiberius, gloriæ Germanici invidens, qui optima quæque Germanici damnabat, ad eum ut ejus præclara facinora pro *vacuis* elevaret, & *gloriosissimas victorias, ceu damnosas*, increparet, teste Suetonio. Tiberii hæc invidia Germanis salutis erat, Romanis autem dedecus cum detrimento. Morum dulcedine Augusto Romanoque populo Germanicus placuit, displicuit Tiberio, ad omnia invidio, jam jam quærenti laqueos, quibus eum deciperet. Honoratum videt, & honore cor torquetur invidi Tiberii. Latet in corde invidiæ venenum, tegitur fronte, simulatione amoris absconditur, triumphis specie obducitur. Triumphus molestus erat Germanico, molestior Tiberio; nectantus, quantus ostendebatur; triumphus enim dicitur actus de populis *usque ad Albim*, à Tacito; Transalbinos enim neque Germanicus, neque Drusus, neque alius Romanorum, suæ pote-

potestatis facere potuerunt, & licet Drusus ultra Albim arma proferre tentaverit, monitum tamen voce mulieris insolitæ & ultra humanam speciem augustæ, ne ultra tenderet, retulit Dio. *Crediderim*, ait Rivius, *fatis ita datum esse, ne populus Romanus ultra Albim ad Septentriones imperium promoverent; huncque illis terminum ad Aquilonem, ut Euphratem ad Orientem positum fuisse. Sua nimium civitatibus & imperiis sunt fata & fines à Deo constituti, quos ultra si tetenderint, cum clade semper & ignominia mortales redierunt.* Ad Germanicum verò revocandum Dæmone aliquo, aut Genio, aut Vaticinâ, qualis Druso Patri contigerat, non erat opus, ipse enim Tiberius successui felicitis Ducis invidens & successorem timens, sub specie honoris Romam revocabat, crebrisque Epistolis monebat, rediret ad decretum triumphum; satis jam eventuum, satis casuum, prospera illi & magna prælia. Germanico autem petente, ut unum annum continuandis captis indulgeret, acrius modestiam ejus aggreditur, alterum Consulatum offerendo, cujus munia præsens obiret; de quibus artibus videndus Lentulus. Ast novit vulpem Romæ sedentem Germanicus, fingi sc. ea seque per invidiam partem jam decori abstrahi. Quid intus Tiberius gerat, possit, agat, disponat, velit, nolit, noluit quidem ut comprehenderetur. Tantamne verò profunditatem credamus fuisse in Tiberio, quæ latuerit ipsum Germanicum? Cognitam fuisse à Germanico malam abyssum, cum simulationis nequitiam descripsimus, deprehendimus. Ex abditis in manifesta scelera euntem per varias nequitia semitas ibi vidimus; in tantâ profunditate latitans erga Germanicum etiam iniquus & malignus fuit. Tanto hoc pejus, quanto fides boni Germanici erat perspicua magis; quam fidem mox audituri sumus. Non abs re fuit, quod Tiberius *bellicâ Germanici gloria angebatur*, I. A. 52. I., verebatur quippe, ne rerum gestarum famâ sibi conciliatâ Imperium ei controversum fieret. Bonos quàm malos habet suspectiores Tiberius, cui semper aliena erat virtus formidolosa. Inter regnantium artes ad tuendam dominationem *τὰς ὑπερέχοντας κολλῆει καὶ τὰς φρονιματίας ἀναίρειν*, eminentiores cohibere, & magni spiritûs homines tollere. Egregium bello virum Germanicum, magnique spiritûs Ducem formidabat Tiberius, suspectum eum habens, sicut nullis fidebat, qui essent strenui, utpote quibus domi-

lib. 55. p.
627.
I. Hist.
nav. 9. p.
28.

Aul. Tib.
2. 45. p.
45, 46.
2. A. 26.
8.

pag. 30.

Arist. 5.
Polit. II.
p. 589.

nationem suam, nondum satis constitutam, invisam sciebat ob ingenium asperius ingratioreque mores. Illustribus Viris perniciem meditabatur; segnes & desides non curabat, quod nemo otio suo præsumatur nocere, *ἔδει γὰρ αὐτὸν μικροψυχῶς ἐπιβλεῦσαι*, nemo enim pusilli animi insidias struxerit, dicente Aristotele. Potestas Germanici infringenda erat *circumdactione quâdam & per ambas*. 5. Polit. II. *ges*, sic enim consilium est Politicum Aristotelis. Modus excogitatus Tiberio per sepositionem honoris. Ita Germanicum, ob popularem favorem & potentiam, *amoliri specie honoris statuit, struxitque causas*, 2. A. 42. 2. Quo modo postea Nero Ottonem in provinciam Lusitaniam *specie Legationis* seposuit, 1. Hist. 13. 5; aut quo Galba Virginium, militiâ & fortitudine clarum, ab exercitibus Germaniæ abduxerat *per simulationem amicitie*. 1. Hist. 8. 5. Recens erat gloria Germanici, & invidit ei gloriæ Tiberius, pro benefacto tribuens livorem, pro merito venenum. Suggestit autem invidia fucum sub larvâ benevolentia, rerumque alibi cum majori fructu gerendarum; nullæ verò, Cicerone scribente, *sunt occultiores insidia, quàm hæ, quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine*. Blandâ hac specie Germanico struit insidias Tiberius, intra se coquens consilia, quæ valerent, sub specie honoris & amoris. Constituit itaque à bello ulterius gerendo contra Germanos abstrahere, specioso prætextu, *plura consilio quàm vi posse perfici*. Sic Sigambros in deditionem acceptos, sic Suevos, Regemque Marobdium pace obstrictum. *Posse & Cheruscas, ceterasque rebellium gentes, quando Romana ultioni consultum est, internis discordiis relinquere*. Constituit *suetis legionibus abstrahere, novisque provinciis impostum, doloque simul & casibus objectare* destinavit, Tacito teste 2. A. 5. 1; Non nesciverat Tiberius versipellis favorem Militum in Germanicum, qui in Germania inter armorum felicitatem Germanicum evchere aliquando volebant ad Imperium, ipso coronam recusante. *Germanicus Cesar*, ait Suetonius, *Legiones Imperatorem Tiberium pertinacissime recusantes, & sibi summam Reip. deferentes compefcuit*. Viderat deinde coli Germanicum Romæ propter victorias in Germaniâ, triumphum inspexerat ægris oculis, & quia non poterat evertere nomen Germanici, nec aliud persuadere de fama & nomine, laudando Germanicum conatur decipere; ad do-

lofas

Verrina 3.
col. 93.

2. A. 26.
4.

Calig. 6. I.
p. 221.

lofas itaque locutiones se convertit, astuteque laudando insidiatur Draco. Insidiatur, non insultando, non opprobria jaciendo, non persequendo, sed honorando, sed revocando. Instat, impellit, incumbit, quasi honoraturus, sed reverà dejecturus. Nondum valebat, quod volebat Tiberius. Valebat gratiâ Germanicus, quem honorem cogitabat repellere Tiberius. Modò quia non potest tolli Germanicus, in Germaniâ victoriosus, agitur, ut revocetur sub specie honoris rerumque graviorum in Oriente expediendarum. Timuit felicitatem Germanici, tantò timidior, quanto ille felicior. Delectatio illi fuisset casus Germanici inter Germanos, & Germanorum felicitas ei non tam adversa fuisset quàm Germanici. Vigilavit ille sibi, ne imperio cadat, & quia multum mali in conscientia tenuit, unde regno timendum, simulat se tantisper, dum esset Germanicus. Non audet verbis proferre, quod cogitat. Optat bona, honores offert, etiamsi optet mala. Dum hæc in Germaniâ & Romæ geruntur, à Tiberio anxievolvuntur, *mota sunt Orientis regna Provinciaque Romana, initio apud Parthos orto*, quod initio Annalium libri secundi habet Tacitus; Germaniâque abstractum Germanicum Oriens excepit, in quo eum aut casus morbi fortuitus sub molliori cœlo, aut fraus Pisonis per occulta Tiberii mandata oppressit. Rebus Orientis turbato rerum fluctu motis, *demovetur Syriâ Creticus Silanus per adfinitatem connexus Germanico*; præficitur Cn. Piso ingenio violentus & obsequii ignarus, delectus, qui Syriæ imponeretur *ad spes Germanici coercendas*, ubi legendus Lentulus. Longè aptior Germanicus erat imperio, virtutum atque gestarum rerum gloriâ non minus Senatui quàm Populo gratus, invidius verò omnibus Tiberius. Inde eum Tiberius è Germaniâ revocatum in Orientem mittit, Parthisque opponit, misso per idem tempus in Syriam Cn. Pisonem Præfecto, Germanici æmulo. Formidabat nimirum, *ne Germanicus, in cujus manu tot Legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quàm expectare mallet*, de quo metu videndus in Notis Boeclerus p. 113, 114, 127, 128. Creditum fuerat, codicillos sive fatales libellos ad Pisonem de nece Germanici missos, de quo Tacitus: *Audire me memini ex senioribus, visum sæpius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos ejus dictavisse*, literas Tiberii & mandata

Tac. 2. A.

43. 3. 4. 6.

Aul. Tib.

2. 99. p.

87, 88.

Tac. 1. A.

7. n. 6.

3. A. 16. 1.

N

mandata

c. 52. p.
201.

Suet. Cal.
c. 3. p. 223.

3. A. 15.
n. 6.

c. 52. p.
201.
18. A. 1. 3.
p. 621.

2. A. 72, 3.

Calig. c. 5.
p. 224.

mandata in Germanicum continere, ac destinatum promere apud Patres Principemque arguere, ni elusus à Sejano per vana promissa foret. Convenit, & confirmat testimonium Suetonii: Tiberius etiam causa mortis fuisse Germanico per Pisonem, Legatum Syriae, creditur, quem mox hujus criminis reum putant quidam mandata prolaturum, nisi ea secreta obstarent; id est, ni Sejanus secreto obstaret, explicante Tacito. Secreta saepe erumpunt, licet occulta videantur. Fama vulgat, ideò nimirum in extremas terras relegatum, ideò Pisoni permisam provinciam; hoc egisse secretos Augustæ cum Plancinâ sermones. Mansuetudinis verò insigne exemplum fuerit in Germanico, qui ita lenis & innoxius, ut Pisonis decreta sua rescindenti, clientelas diu vexanti, non prius succensere in animum induxerit, quam veneficiis quoque & devotionibus impugnari se comperisset, ac ne tunc quidem ultra progressus, quàm ut & amicitiam ei more majorum renuntiaret, mandaretque domesticis ultionem, si quid sibi accideret. Accidit, ut moreretur Germanicus Antiochiæ, creditumque non sine fraude interiisse, notante Tacito 3. A. 14. n. 4. 1. qui antea 2. A. 69. n. 3. memorârat de persuasione veneni à Pisoni accepti, aliisque maleficiis. Ob id Romæ iudicio postulatus ab Agrippinâ, Germanici Coniuge, ferro in jugulum adacto damnationem antevertit. Multam ille post noctem, recensente Tacito, egressâ cubiculo uxore operiri fores iussit, & capta luce perfosso jugulo, jacente humi gladio, repertus est. Scelere Pisonis sublatum Germanicum gravis suspicio erat, conscio Tiberio, quam, Suetonio memorante, suspensionem confirmavit ipse postea, Coniuge etiam ac Liberis Germanici crudeliter in modum afflictis. Expressè Josephus: Γενόμεν & κατὰ ἀνατολήν, καὶ πάντα διορθώσας, ἀνηρέθη Φαργάκω ὑπὸ Πίσων &. Cum esset G. in Oriente, omniaque ritè disposuisset, Pisonis operâ veneno fuit sublati. Funeris mœror quàm charus fuerit Provinciis & conterminis gentibus indicat. Extinguitur, ait Tacitus, ingenti luctu Provincia & circumjacentium populorum. Indolere exteræ nationes Regesque, tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes, visuque & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & adrogantiam effugerat. Funus sine imaginibus & pompa, per laudes & memoriam virtutum ejus celebre fuit. Funeris mœror quàm charus Urbi fuerit, indicat Suetonius: Longè majora

jora & firmiora de eo judicia in morte, ac post mortem extitere. Quo defunctus est die, lapidata sunt templa, subversa Deum ara, Lares à quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expositi. Quin & Barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque adversus nos bellum esset, velut in domestico, communique morore, consensisse ad inducias; Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus. Vivit adhuc post funera virtus egregii Herois, qui haud multum triginta annos egressus (Tacito teste, & Sueton. testatur xxxiv egisse) suorum insidiis externas intergentes occidit. Non immemor adhuc Germania Virtutum Germanici, ut non vereantur Rhetores & Historici exemplum inde sumere ad commendandos summos Principes, summâ probitate, integritate, justitiâ, comitate atque prudentiâ præditos, quo elogio Cl. Tackius, Archiater nunc Darmstadinus, immaturam mortem carissimi atque optimi Imperatoris Ferdinandi IV, Principumque in tantum Imperatorem amorem singularem, publicè inter nos Gieslæ decantavit. Nec aliò elogio usus Cl. Bucherius in Sereniss. Archiducem Leopoldum Guilelmum, Proregem tunc Belgicum, cum Belgium Romanum inscriberet, inter alia ajens: *Nihil in Belgio nostro aequè me afficit, ac Tui cum Germanico Cesare undecumque ferè sibi respondens compositio.* Ubi verò tua, Tiberi, effrons frons, cum perinclytum Juvenem, vitâ longissimâ dignissimum, necessarium regno, Tibi fidum, cum pernicie regni tollereres! Id nimirum, scelestè, egisti, ut Germanico mortuo *εις πάντων αντιόν*, in contraria omnia, Dione scribente, mutare te tutiùs, posses, *ἀγρίως ἀρχεν*, crudeliter imperare, atque ad varia crudelitatis genera habere promptiorem Consiliarium tuum *Sejanum*; de quo jam.

l. 57. p.

706.

9. T. Ælium Seianum in gradu honoris eminentissimo collocatum cum totâ familiâ dejecit, cujus cadaver pedibus per plateas inter ludibria ducitur, triduoque insepultum in Tiberim abjicitur, memorabili exemplo,

N 2

quàm

quàm honorum aulicorum fastigia sint periculosa.

ARduus admodum in Aulâ conversandi & vivendi modus per-
varium hominum genus, ambiguum terè & honoris cupi-
dum, plus sollicitudinis quàm soliditatis habere solet, maximè apud
Reges Principesque improbos, ubi periculosior est omnis agendi
scena. Variè ludit fortuna aulica, hunc provehens, illum minuens,
quæ initar rotæ vario se vertit motu, variâque se flectit viâ, alii per-
angusto tramite difficulter, alii amplo aditu celeriter accessibili,
neutri satis fida. Ii quibus fortuna sese præbet affluentior, sæpe se
non noscunt, multò minus alios, ne Principem quoque, verè stul-
ti, de quibus illud Publii Mimi usurpes :

Sent. v.

Fortuna nimium quem fovet, stultum facit.

231.

Perversum ejusmodi hominem, & cui occiput malè habuit, exhi-
bet in Aula Tiberiana ÆL. SEIANUS, ad insaniam usque stoli-
dus, verè opprobrium Aulicarum fortunarum erubescendo exem-
plo. Solus ille in conspectu Aulæ eminebat, solus sufficiebat ad
omnia, cui ipse Princeps tandem non sufficiebat. Multa sæpe in suâ
dignitate peccant Reges & Principes, sed in nullis gravius, quàm
cùm sceleratum aut indignum ad summam assumunt dignitatem
Aulicam, & publico statui præficiunt, quem ad salutem acceptum
ad detrimenta convertunt. Elegit Tiberius Sejanum, qui præesset
& togatæ & sagatæ militiæ, neque intimiùs scit, quid vel virtute vel
vitiis valeat, nisi consultò assumerit ad ministerium vitiorum,
quod Suetonio placet, eo enim scribente Sejanum evexit primùm,
tanquam aptum instrumentum ad scelera sua & secretorum custo-
diam. Magister ille sic tyrannidis erit & vafriciei promus condus,
illum enim *ad summam potentiam, non tam benevolentiam provexerat,*
quàm ut esset, cujus ministerio ac fraudibus liberos Germanici circum-
Sueton. c. veniret; nepotemque suum ex Druso, Filium naturalem, ad successio-
55. p. 203. nem Imperii confirmaret. Hinc facinorum repertorem vocat Tacitus
4. A. II, 4, qui initio ejus libri affabre ingenium & mores Sejani de-
scribit, & quo facinore dominationem raptum ierit, 4. A. I. 2. 3. *Geni-*
tus Vulsiniis, ait, Patre Sejo Strabone, Equite Romano. Et prima ju-
venta C. Casarem, Divi Augusti, nepotem, sectatus, non sine rumore A-
picio,

picio, diviti & prodigo, stuprum venum dedisse. Egregia fanè initia,
 sed audi, quæ statim sequantur: *Mox Tiber. variis artibus devinxit*
adeò, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque effi-
ceret, non tam sollicitâ (quibus iisdem artibus victus est) quàm Deum
irâ in rem Romanam, cuius pari exitio viguis ceciditque. Sit
solertia inter elogia Sejani, sit industria agendi sine ostentatio-
ne, qui visus nihil egisse omnia egerit. Corpus illi *laborum to-*
lerans, Tacitus ait, sed quietâ industriâ; *actu quippe,* quod
Vellejus ait, otiosis similimus, nihil sibi vindicans, eoque assequens o-
mnia; semper infra aliorum estimationes se metiens; vultu vitæque
tranquillus, animo exsomnia. Inter initia aulici ministerii eam præ-
 stitisse aut simulasse potius modestiam credamus, in quâ si persti-
 tisset, in claritudine permansisset, non enim alibi quàm in Aulâ,
 magis observatur, quid & quomodo agamus, utque agamus secu-
 rius, omnis ostentatio & arrogantia venit vitanda, si vis esse, quod
 velis. Si grande negotium egisti, age, tanquam egeris nihil, in aulâ
 enim Jugurtha agendus, qui *plurimum facere, & minimum ipse de se*
loqui solitus, duci suo Scipioni modestissimè parendo, in magnâ claritu-
dinem brevi pervenit. Ostentatio autè & arrogantia, quæ in latebris
 micabat, sese prodebat, nam ei fuerat, pergente Tacito, *animus*
audax, sui obtegens; ipse in alios criminator; juxta adulatio & super-
bia; palam compositus pudor; intus summa apiscendi libido, ejusque
causâ modò largitio & luxus; sæpius industria ac vigilantia, hand mi-
nus noxiæ, quoties parando regno finguntur. Varium sic habes &
 mixtum Sejanum, & quamvis prudens Tiberius inter latebras si-
 nuosas variosque recessus animi, nescivit tamen varium animum
 Sejani, *sui obtegentem,* & illam in composito pudore externo *inter-*
nam, eamque summam, apiscendi libidinem, quam notavit Tacitus.
 In consiliis verò sibi communicandis adeò devinctum habuit Se-
 janus Tiberium, *ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum in-*
tectumque efficeret, de quo errato agit Lentulus. Leviter egit Ti-
 berius, nulli fidens, Sejano in omnibus fidens. Sapere oportuit, &
 qui nulli, ne Sejano quidem eum fidere oportuit. In malefactis ju-
 vabat Sejanus, sagax consiliis in omnibus. Condit hoc intimis sen-
 sibus Cæsar, & erant reliqua diligentia Sejani commissa. Voluntas
 Tiberii, voluntas Sejani in omnibus fuit, & vicissim. In omnem par-
 tem se versari poterat Sejanus, civilitate & ingenio, & longo inter-

4. A. 4. 5.

2. c. 127.

107.

Salust.

c. 6. 7.

p. 30. 31.

4. Ann.

1. 5.

Aul. Tib.

p. 279.

vallo cæteros anteire Consiliarios. Erat ille primus, quem Cæsar honorari suo suffragio voluit unicè; quique firmiorem sibi gratiam Cæsaris societate scelerum obstrinxit, instar Tigellini apud Nerone; in quem *tam facilis, tam pronus Tiberius, ut socium laborum non modo in sermonibus, sed apud Patres & Populum celebraret, colique per theatra & fora effigies ejus, interque principia legionum sinneret*, 4. Ann. 2. 4. Principis testimonio commendatus Sejanus ab omnibus, sicut fieri solet, benignè accipitur, colitur, nec putabant omnes magis grata futura Principi quàm in Sejanum obsequia, neque falsò, quia Tiberius sese totum Sejano impendit, *laborumque socium ipse colit*. Inde coluit maximè Vellejus & laudavit *Sejanum, laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principium onerum adiutorem in omnia, Virum severitatis letissima, hilaritatis prisca*. In illo itaque Sejano promerendo, ut desiderio Tiberii satis fieret, omnes contendebant, humanissimè novum Consiliarium, imò Militiæ novum Magistrum, reverebantur, vota & salutationes cumulabant, ut valeret semper, digneque vota Tiberii adimpleret. Illustrem fecerat hominem Principis amicitia & familiaritas, atque ad summos honores evexerat à modicis initiis, adeò ut ejus Natalis publicè, velut Cæsaris, celebraretur, Statuæ omnis generis, atque etiam aureæ, passim ponerentur, quo nimio honore factum, ut coleretur certatim, majoreque tandem in autoritate, quàm ipse Tiberius esset.

lib. 57. p.
708.

In hunc honorem verba Dionis notentur: Τὸν Σηϊανὸν ζῶντα ἐν τῷ θεάτρῳ χαλκῆν ἔθηκε. καὶ τότε πολλοὶ μὲν ὑπὸ πολλῶν εἰκόνες αὐτῆς ἐποίησαν, πολλοὶ δὲ καὶ ἔπαινοι καὶ παρὰ τῷ δήμῳ καὶ παρὰ τῇ Βασιλῆϊ ἐγένοντο. *Tiberius Sejanum etiam vivi statuam æneam in theatro posuit; inde in honorem ejusdem imagines à multis multæ factæ, multiq; honores in eum à Senatu & Populo collati*. Laudibus Sejanum extol-

3. A. 72. 3.

lente Principe applaudit Senatus, & censuere Patres effigiem Sejano, quæ apud theatrum Pompeji locaretur. Effigies Sejani non in Urbe tantum, sed & inter signa colebatur apud exercitum, Suet. Tib. c. 48. p. 197; & Natalis ejus publicè celebrabatur, & imagines

Consol. ad
Marc. p.
619.

aureæ passim colebantur, cap. 65, p. 212. De statuâ Sejano posita in Pompeji theatro Senecæ judicium: *Propone istud acerbissimum tibi tempus, quo Sejanus Patrem tuum clienti suo Sutrio secundo congia-*
rius

rium dedit. Irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat, Sejanum in cervices nostras ne imponi quidem sed ascendere. Decernebatur illi statua in Pompeji theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat. Exclamavit Cordus, tunc verè theatrum perire. Quis ergo non rumperetur, supra cineres Cn. Pompeji constitui Sejanum, & in monumentis maximi Imperatoris consecrari pessimum militem? Consecratur. Magna hinc reverentia, magnus honor æstimari potest. Obedientiam paravit omnium reverentia ipsius Principis. Diebus singulis domum mane adibant Senatores Ordinesque illustres, imò ipsi Consules, οἱ ἑλλογιμοὶ καὶ οἱ ὕπατοι αὐτοὶ, nihilque sine ejus consiliis audebant, συνελόντι εἰπεῖν, In summa, ait Dio, ὅθεν χωεῖς αὐτῷ ἐπαράτεσθαι, omnia Sejanus agit, & sine Sejano nihil agitur. Momenta hinc captantur ad res coram Sejano agendas omnia, quia ille τὸ πᾶν, omnia. Publica vox omnium, Sejanus omnia, & inter omnes non inventus major, nec dignior, nec promptior ad omnia munia. Collata Sejano dignitas prætoris militiæ, militiâ & fide excellere quia putabatur, quo ipso crevit magna ejus autoritas, non sine periculo Principis. Quod Thrafo jactitat Terentianus, Regem Persarum sibi credere omnem exercitum, consilia, id Sejano contigit. Collega erat Patris Strabonis regendis Prætoris cohortibus, 1. A. 24, 3; & 6. A. 8, 3, Patreque misso in Ægyptum solus præfuit. Imperandi nescius Tiberius, quod sine æstimatione Sejanum Præfectum Prætorio constituit, unde damnofa contra se surgebant consilia. Uni quia creduntur omnia, omnium fit officiorum in regno perturbatio. Quis verò miretur à Principe malo assumi Ministrum non bonum, ex Ministro non bono non bona administrari consilia? Ita unius Principis morbo in regnum manat contagium, atque grex totus in agris

Unius scabie cadit & porrigine porci.

In illa mentium hebetudine stabilire autoritatem vel quibusvis mediis, Principe annuente, poterat Ælius. Quâ erat vafricie, jurari sibi voluit, ut esset tutior. Juratum aliâs pro more in verba Imperatoris, sed Sejanus eò devenerat, ut in ejus verba juraretur, quod postea vetitum, nam eo mortuo ἢ μὲν βελὴ ἐψηφίσθη, μήτε τις ὄρκους ἐπ' ἄλλου τινὸς πλὴν τοῦ αὐτοκράτορος ποιείσθαι, Senatus decrevit, ne in cuiusquam nomen nisi Imperatoris juraretur. Quâ vafricie fuit, ut augmen-

Dio lib.

57. p.

708.

Eun. 3. 1.

v. 12.

Juv Sat.

2. v. 80.

Dio l. 58.

p. 722.

4. Ann.
41.4.

1. A. 68.
6.

Diss. Tib.
1b. 30. p.
67.

augmentum sumeret autoritas, quoque facilius eam retinere, eaque felicius uti posset, suavitati Tiberio, ut à negotiorum tumultu vacaret, & recessum quæreret, hoc enim ipsum facere multum ad Majestatem & comparandam & retinendam; *majora enim semper de absentibus credi*, 2. Hist. 83, 1; & Majestatis majorem futuram *de ignotis famam* ac reverentiam; in Agric. 25, 4; cumque illud opinionis augustum Tiberio non displiceret, ipseque Princeps ex ingenio suo continuum aspectum hominum non amaret, Sejanus jam, quod voluit, habuit, & senescentem jam Tiberium *ad vitam, procul Româ, amenis locis degendam impulit*, addita causa, *Cæsarem vergente jam senectâ secretaque loci mollitum, munia Imperii facilius transmissurum, & minui sibi invidiam, adempta salutantium turba, sublatisque inanibus vera potentia augeri posse.* Confer eundem cap. 57. n. 2. His flexus Sejani consiliis Tiberius se subtrahit publico, credens ex fastu & fiducia majestatis servandæ Sejano, increpanti *negotia Urbis, populi adcursum, multitudinem affluentium; laudibus verò extollenti quietem & solitudinem, quis absint tædium & offensiones, ac præcipua rerum maxime agitentur.* Captus est Tiberius his consiliis, habet, Sejano totum Tiberium agente, quamque volebat augere majestatem Tiberius, eam amittit, accipit verò Sejanus, qui erat, si quisquam alius, morum Tiberii peritissimus, de quo Tacitus: *Peritia morum Tiberii odia in longum jaciens, quæ reeonderet, auctaque promeret.* Iterum 4. A. 71, 4. *Gnarus Sejanus, lentum in meditando Principem, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocias facta conjungere.* Sub hoc titulo secessus & quietis *sternebatur Principi pulvinar, (verba sunt Boecleri) ut in utramvis aurem quiesceret, munia imperii transmitteret, Sejano Remp. relinqueret.* Officia erant omnia in manibus Sejani, nec aditus ad Principem, nisi præeunte Sejano. Ad Consulatum non nisi per Sejanum aditus; neque Sejani voluntas, nisi scelere querebatur; 4. A. 68. 3. Testis Terentius Oratione ad Senatum: *Videram Sejanum Urbis & Militiæ munia simul obeuntem. Illius propinqui & ad fines honoribus augebantur. Ut quisque Sejano intimus; ita aut Cæsaris amicitiam validus; contra quibus offensus esset, metu ac sordibus confluebantur,* 6. A. 8. 3. Sejano in gratia existente Propinqui & Consanguinei officia honoratiora auterebant. Cæsar Junium Blæsum, Avunculum Sejani, Proconsulem

fullem Africæ triumphis insignibus attollens, dicebat, *dare id se honori Sejani*, 3. A. 72. 4; unde antea dictum: *Avunculus Sejani Blasius, atque eo prevalidus*, 3, 35, 2. Iterum: *Dolabella petenti abnuvit triumphalia Tiberius, Sejano tribuens, ne Blasii, avunculi ejus, laus obsolesceret; sed neque Blasius ideo inlustrior, & huic negatus honor gloriam intendit*, 4. A. 26, 1. Junius Otho literarium ludum exercebat, *mox potentiâ Sejani Senator*, 3. A. 66. 4. Juxta fortunam animus mutatur, & *omnibus nobis*, quod ait Terentius, *ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus*. Venit in aulam Augusti Sejanus, educatur inter Augusti Nepotes, ex beneficio ministrum agit, humilis apparet, & ex ministerio veniens ad magistrum, quum sentit se excellere apud Tiberium, temerarius in sublimitate evadit. Majora in Aula Tiberii augmenta fiunt fortunæ Aelii, quàm ut intra suam fortunam se continere queat. Altiora se cogitat, de regno apprehendendo animus æstuat. Cupidinem hanc animi mali detegit Tacitus, & utrobique parat media Aelius, quibus id efficiat. Hoc in malo ordine sunt, *dispersarum cohortium unum in locum congregatio; favor castrorum & studia militum quaesita; Senatorum & Magistratum clientela; Livia per adulterium corruptio; Drusi veneno sublato remotio; Liberorum Germanici per Tiberium structis criminibus depressio, machina cadis in Tiberium, quæ, antequam detorqueretur, Sejanum supremo jam gradui vicinum casu præcipitem dedit, animadvertente Cl. Lentulo*. Maligno spiritu ad dominationem aspirat Sejanus, & ut per facinora adscendat, Drusum, Tiberii Filium, veneno sustollit, conciliatâ sibi prius uxore Livia, stupri consuetudine. *Adulterio pellexit*, ait Tacitus, & *postquam primi flagiti potitus est, ad Conjugii spem, Consortium regni, & necem mariti impulit*. Alii alias artes exponunt, quibus usus est incommodè atq; nequiter. Tantorum verò incommodorum Tiberius ipseque Senatus propter indigna suffragia causam præstitit, unde factum, quod scribit Dio: *Ὁ Σηϊανὸς τοσούτῳ ἦν τῆ τε ὑπεροχῆ τε φρονήματι, καὶ τῷ μεγέθει τῆς ἐξουσίας, ὡς αὐτὸν μὲν, αὐτοκράτορα, τὸν δὲ Τιβερίου, συναρχόντιν εἶναι δοκεῖν*. Sejanus fastu potentiâque adeò efferebatur, ut se ipsum pro Imperatore, Tiberium pro Insulæ Rectore quodam habuerit. Erat autem tum in Insula, cui Capræ nomen; quam antea descripsimus. Quem tantopere Tiberius evexerat, eundem postea

Hecyr. 3.

3. v. 20.

Aul. Tib.

p. 282.

4. A. 3. 4.

lib. 58. p.

715.

O

evectum

Dio l. 58. p. 714. *εὐεχτόν μετῴχετο, τὸ, τε γὰρ δορυφορικὸν πᾶν ἰχυρῶς ᾤκειώτο, καὶ τῶν βουλευτῶν τὸ μὲν εὐεργεσίαις, τὸ δὲ ἐλπίσι, τὸ δὲ καὶ φόβῳ προσεπέπαιοντο, Sejanus quippe prætorianos milites sibi summè devinxerat, Senatorum alios beneficiis, nonnullos spe, quosdam metu sibi adiunxerat. Ipsorum etiam Ministrorum, qui cum Tiberio erant, amicitiam sibi ita conciliaverat, ut de omnibus Tiberii actis resciret statim, nihil autem Tiberio Sejanus referret, quod Dio subdit. Opportunè verò accidit, ut pro semine messem colligens ab eodem illo, qui illum ultra fortem evexerat, acciperetur deterius, & cui imperare jam credidit, variis demum angoribus ferviret. Evenit tremendo veri Dei iudicio, maximè in regnis, ut gratiæ scelere quæsitæ non sint diuturnæ apud Aulas; maximè mutabilibus inter scelera Principibus. Flagitiorum repertoires habuit Tiberius *scelerumque ministros*, quos ut *perverti ab aliis nolebat, ita plerunque satiatus & oblati in eandem operam recentibus, veteres & prægraves affixit.* Quanta erat gratia in Sejanum, quantaque potentia Sejanum, ast utraque scelere quæsitæ tandem Consultori erat pernitiōsa, convertebaturque retributione æqua scelus iniquitatis in dirum caput Sejanum; quæ enim fortuna splendida admodum initio fuit, catastrophè habuit tragicam maximè omnium. Tanta fuerat Sejanus apud Tiberium autoritate, ut ei pro Collega in Imperio haberetur, cumque Tiberio spreto ei magis adverterent, veritus Tiberius, ne imperium ei deferretur, cæpit de Sejano tollendo cogitare, eò magis quum elatus cæperit Tiberium præ se nihili facere, Prætorianos *aliosque omnes contemnere*, indeq; Tiberius re cognitâ *cautè ac pedetentim* depressit hominem, quod Dio describit luculentè lib. 58. p. 714, 715, 716, 717, 718, 719, 720. Sedet in alto Sejanus, & in occulto deliberat Tiberius, ne amplius excellat, sed ex alto deturbetur, priusquam sentiat; dumque minus sentit, nimis exaltatum hominem, jamque metuendum, astu atque dolo subvertit, directò vix ausus, adeò præpotens erat, unde rem miris involuit ambagibus, mirante etiam Suetonio, & scribente: *Sejanum, res novas molientem, quamvis manifestum criminis, vix tandem, & astu magis ac dolo, quam principali auctoritate subvertit.* Ad evertendum hominem paulatim progrediebatur, ut diu incertum relinqueret omnibus, amicitiam an odio complecteretur. Ipse Sejanus inter me-*

4. Ann.
71.2.

o. 65. p.
212.

Dio l. 58.
p. 714.

rum

tum & confidentiam medius in neutram partem audebat aliquid decernere, καὶ γὰρ ἐκολέετο, *diminutio enim jam erat facta de ipsius potentia*, dicente Dione. Superbum fortuna non manet. Dum simulat Tiberius gratiam, subvertere cogitat exitiumque parat. Fraus fraude, dolus dolis capi solet, & malitia suo veneno esse sibi exitiosa. Eâ fortunâ apud Tiberium *Vesularius Flaccus* ac *Julius Marinus*, apud Capreas individui socii, ad mortem aguntur, nam, tradente Tacito, *Vesularius insidiarum in Libonem internuntius; Marino particeps, Sejanus Curtium Atticum oppresserat; quo latius acceptum, sua exempla in consultores recidisse.* Eô dolo Sejanus tollendus erat, qui consutor & consultor fuerat doli. Dolosi dolos, fraudulentum fraudem patiuntur. Fraudem voluit facere in nequitias suis Tiberio Sejanus, & in eum recidit fraus. Dejicitur, dum extollitur; & dum effertur, cadit. Invenit miseriam, quam sibi comparaverat. Cum gloriâ assumitur à Tiberio; cum ignominia dimittitur. Dolo subvertit Tiberius, spe affinitatis atque tribunitiæ potestatis objecta *deceptum*, nihilque sinistri suspicantem subito aggressus, velut res novas adversum Rempublicam atque se molientem; longa & criminosa Epistola è Capreis, ubi tum erat, ad Senatum scripta infensissimè accusavit, de quibus literis Dio: πρότερον μὲν, πρὶν ἀναγνωσθῆναι αὐτὴν, ἐπαίνους τε αὐτῆ ἐποιεῖντο, καὶ ἐπιβοήμασιν ἐχρῶντο, προλαμβάνοντες, ὅσα ἠλπιζεν. ἐπεὶ δὲ εἶδεν τοιούτων εὐείσκετο, ἀλλὰ καὶ πᾶν τὸναντίον ἢ προσεδόκων ἤκεον, ἐν ἀποείᾳ πολλῇ καὶ κατηφείᾳ ἐγίνοντο. καὶ τινες καὶ ἐξανέστησαν τῶν συγκαθημένων αὐτῷ. *Principio, antequam litera legerentur, omnes Sejanum laudabant, acclamabaturque ab omnibus, se jam ea, quæ diu speraverant, adeptos esse. Post, ubi nihil horum est in literis inventum, atque omnia contra expectationem audita sunt, dubitare omnes mœrore & conturbari; nonnulli quoque qui unquam cum eo confederant, surgere.* Et paulò post: Διαναγνωσθεῖσης δὲ Ἐπιστολῆς πάντες ἀπὸ μιᾶς γλώττης κατεβόων αὐτῆ, καὶ δεῖνὰ ἐπέλεγον, οἱ μὲν ἠδικημένοι, οἱ δὲ πεφοβημένοι, ἄλλοι τινὰ Φιλίαν τὴν πρὸς αὐτὸν ἐπιλυγάζομενοι, ἄλλοι τῇ μετὰ βολῇ ἐπιχαίροντες *Perlectis literis omnes uno ore contra eum vociferari, atque ei maledicere, nam solum ii, qui ab eo injuriam acceperant, sed etiam ii, qui eum metuebant antea; plerique dissimulabant consuetudinem & amicitiam, quam cum eo ha-*

p. 716.

6. Ann.

10.3.

Suet. c.

65. p. 212.

lib. 58. p.

719.

p. 720.

Sat. 10.
v. 66.

buerant. Multi ista commutatione letabantur. Epistola ista damnauerat Sejanum, ad quam respicit Iuuenalis:

Sejanus ducitur unco

*Spectandus, gaudent omnes; quæ labra? quis illi
Vultus erat? Nunquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem. Sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis? quo teste probauit?
Nil horum, Verbosa & grandis Epistola venit
A Capreis. Bene habet, nil plus interrogo; sed quid
Turba fremens? Sequitur fortunam, ut semper, & odit
Damnatos.*

Quàm improvidus fuit in extollendo Sejano Tiberius, tam sævus in eodem dejiciendo, sævitia immane quantum gliscente. Sejanus mox ab omnibus desertus jussu Senatus in carcerem rapitur, & omni cum stirpe ac familia occiditur. Cadavera triduo publicè ludibrio habita, demum in Tiberim projecta sunt, & acerba inquisitio contra ejus familiares & amicos est instituta. Mutato Principis animo in Capreis, animi & linguæ mutantur in Urbe. Ducto Sejano in carcerem, libertas linguis data, ut vulgò diceretur, teste Iuuenali: *Sanè si quid mihi credis, non amavi unquam hunc hominem.* Ubi tui, Sejane, Amici à latere, cum novissimè in Senatum venires! Adventu tuo subsellia vacuefiebant, simulacque assedisti, te derelinquebant, καὶ τινες, quæ verba sunt Dionis, καὶ ἐξάνεσαν τῶν συγκαθημένων αὐτῷ. ὃν γὰρ πρόσθεν περὶ πολλῶν φίλων ἔχειν ἐποιεῖντο, τότε εὐδὲ τῆς αὐτῆς συνεδρείας κοινωεῖν ἠθέλον, & quidam eorum, qui ei assidebant, consurgebant; quem enim paulò ante amicum habere magnè estimarant, cum eo ne sedem quidem communem habere dignabantur. Dilabuntur comites & amici, qui homini florenti adfederant proximi. Ciconiam pingunt, qui genibus flexis adorabant, *Quid turba Remi? Sequitur Fortunam, ut semper, ait Iuuenalis, & odit damnatū.* Cogita, quantus numerus fuerit hominum, qui doluerint gementes sub onere pessimi Sejani, & quantum fuerit gaudium post illas turbationes tanto turbatore semoto. Ore nunc communi, nemine timente, dicitur: *Sejanus fuit.* Turba undique irruit, prodit in medium, facta Sejani detestatur, quæ antea ne hircere quidem audebat. Difficile est numerare eos, qui facta flagitiosi, facinorosi, scelerat.

p. 719.

rati hominis voce liberâ execrantur. Quid verò cogitat in corde suo Tiberius, qui cum Sejano malè vixit! Displicet ei superbia Sejani, non displicet iniquitas, quia semper placuerant iniqui mores. Iniquum non sustulisset, si de sceptro non cogitasset. Ab hâc malâ fide sequuta Principis ira, & internecio. Nonne tunc fera pœnitentia Sejani, dicentis: *Quid mihi profuit superbia, quid contulit mihi perfidia? Tituli ubi sunt? Vbinunc pompa, atria, imagines, statuae, cunei clientum? Excellens vanitas fuit? somnium fui; ad nihilum redacta omnia.* Mutata repente omnia. Nihil vides pristinum in mollitie Sejani; pro læto initio & successu tristis exitus, tristius Nihil, tristissimum Tartari barathrum. Ubi tunc typhus aulicus Sejani, quo elevatus erat, ubi familiæ, quæ circumstabant, ubi numerosum aurum & argentum, ubi domus marmoratæ, ubi tecta laqueata auroque nitentia? Sejanum in illis quære, & attende te ipsum, qui sis ad Sejanum. Fortuna blandiùs arridente nemo non Sejano honorem atque omnis generis obsequia deferebat; ubi verò Tiberii gratia deest, fortunaque vicem mutat, is quem omnes antea quasi Numen quoddam cœlo delapsum in summa veneratione habebât, pedibus tractum ignominiosa morte ab hac luce subtrahunt. Nec satis etiam mortuus videbatur, nisi & statuae, illius in honorem erectæ, deturbarentur, tota deleretur familia, omniaque in eum convitia & probra conjicerentur. Jusultat jacenti Valerius excursumque oratorio potiùs quàm historico de Sejano paratragœdiatur, scribens: *Vnius parricidii cogitatione cuncta scelera superata cerno.* *Omni igitur impetu mentis, omnibus indignationis viribus, ad id lacerandum pio magis quàm valido affectu rapior.* *Quis enim amicitiae fide extincta genus humanum cruentis in tenebris sepelire conatum, profundo debite execrationis, satis efficacibus verbis adegerit? Tu videlicet efferata barbaria immanitate truculentior habenas Rom. imperii, quas Princeps Parensque noster salutari dexterâ continet, capere potuisti? Aut te compote furoris in suo statu mundis mansisset! Urbem à Gallis captam, & trecentorum inclytæ gentis virorum stragem fedam, Alliensem diem, & oppressos in Hispania Scipiones, Thrasymenum lacum, & Cannas, bellorumque civilium domestico sanguine madentem, Amathiam amentibus propositis furoris tui representare & vincere voluisti. Sed vigilarunt oculi Deorum, sidera sua ul vi-*

9, II. p.

399.

gorem suum obtinuerunt. *Aræ, pulvinaria, templa presenti Numine vallata sunt, nihilque quod pro capite Augusti & patria excubare debuit, torpere sibi permisit. Et in primis auctor ac tutela nostræ incolumitatis, ne excellentissima merita sua totius orbis ruina collaberentur, divino consilio providit. Itaque stat pax, valent leges, sincerus privati ac publici officii tenor servatur. Qui enim hac violatis amicitia federibus tentavit subvertere, omnium cum stirpe sua populi Romani pedibus obtritum, etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur, supplicia pendit. Nomen Sejani, tanquam populi Rom. Hostis, è fastis ac monumentis publicis erasum; statuæ passim dejectæ atque conflatæ, omnisque memoria decreto Senatus ablata; hinc ipse Valerius nomine abstinuit, Tiberio suo placere cupiens, ideoque etiam non velut Civem inter domestica sceleratorum exempla, sed velut hostem inter peregrinos & externos extremo loco collocat, notante Pighio; erratque vir doctus Joh. Brodæus, ad Cornelii Cinnæ conjurationem contra Augustum verba trahens. Non satiatum miserorum pænis Tiberius, sed irritatus suppliciiis, cunctos, qui carcere attinebantur accusati societatis cum Sejano, necari jubet. Iacuit immensa strages, omnis sexus, omnis ætas, illustres, ignobiles, dispersi aut aggregati. Ipsa miseratio arcebatur, neque propinquis aut amicis assistere, in lacrymare, ne visere quidem diutius dabatur; sed circumjecti custodes, & in mœrorem cujusque intenti Quis amicorum tum vultus fuerit, qui gemitus, quæ voces, observatum, additis corycæis, qui describerent, Tacitus pergit: Corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur, ubi fluitantia, aut ripis adpulsa, non cremare quisquam, non contingere. Interciderat sortis humane commercium vi metûs, quantumq; sevitia glisceret, miseratio arcebatur. Degustavimus Sejani tragico comœdiâ & ex magnâ historiæ copiâ gustum aliquem dedimus. Anne verò mala Romæ cessârunt, morteque Sejani fuere expiata? Non vita modo Sejani, ait Boeclerus, Rempublicam afflixit, sed ipsa mors, ex quâ tot malis remedium sperari debuerat, novâ strage priores miseras cumulavit, ducto hinc novo seviendi principio & pretextu; oppresso quippe Sejano Tiberius, vel sevitissimus extitit, Suet. c. 61. p. 208; cædeque ejus patratâ sex postea annos pari secreto conjunxit, in sevitia & libidine continuus, Tacit. 4. A. 57, 2. Vix fieri solet, ut in malis Principum*

Aulis,

ad Valer.

p. 532.

2. Misc.

27. p.

486.

6. A. 19. 2.

6. A. 19. 2.

Dis. Tib.

th. 26. p.

63.

Aulis, etiam instrumentis & ministeriis quorundam ad mala sublatis, meliora sequantur. Sejani interitum plerique tunc, ut malorum finem, accepere, sed sequuta pejora. Post Sejani interitum meliori non erat statu Regnum, nam ei successerat Vir peior Macro libertus, impurissimus homo, Praetorio praefectus, quemque deinde Tiberius adiutorem mortis, non imperii habuit, teste Tacito. Quamvis verò Tiberius Sejanum ad summam potentiam provexisset, quod initio diximus, *non tam benevolentia, quam ut esset, cuius ministerio & fraudibus Germanici liberos circumveniret*; tamen veteratoria simulatione Commentario, quem de Vita sua summam breviterque composuerat, ausus est scribere & praetexere *Sejanum se punivisse, quod comperisset furere adversus Germanici liberos*, quorum ipse alterum *suspecto jam*, alterum *oppresso demum Sejano* interemit. Vetera haec & recentiora apud nos exempla facile admonent, quam sint instabiles res aulicae, & quam fragile sit ex Principis superbire gratia. Heri Sejanus vice Imperatoris moderabatur imperium, *singularis principalium onerum adiutor*; hodie immanitate supplicii abreptus omnium opprobriis excipitur, mortuoque insultatur. Inde Sejanus, tanquam solenne exemplum casuum aulicorum praepotentium, afferri solet, libroque singulari id deduxit Petrus Matthaeus, *Sejani* titulo, quem librum Aula Cassellana cur in nostram linguam verterit, habuit causas. Habent hic Principes, quod caveant: & *pro regula status*, magisterio Didaci Savedrae, illi habeant, *ne quem pra alius nimium elevent*, aut uni summam rerum committant. Habeant sibi ad exemplum memoriae Consilarii & Proceres aulici praecipitium Aulæ in Sejano, homine audacis praesumptionis, qui se cum suo Tiberio omnigurgite flagitiorum demersit, ceciditque prius, ut cadentem sequeretur alio praecipitio Tiberius. Habeant in memoriae monitum Dionis: *Ἐνθα δὴ καὶ μά- λιστα ἀντίς τὴν ἀνδρωπίνην ἀσθένειαν κατέϊδεν, ὡς ἐμὴν ἀμὴν μὴ ἀμὴν φουάδει.* *Is casus Sejani humanam imbecillitatem egregie ob oculos ponit, monetque nusquam inflatè se gerere.* Habeant Aulici Juvenalis doctrinam in mente, exemplo Sejani ostendentis quam nimii in aulæ honores facile deperdantur, sic enim ille Sat. 10. v. 103.

ignorasse fateris

Sejanum, nam qui nimios optabat honores,

6. *Annal.*
50. n. 8.
Suet. c. 55.
p. 203.

c. 61. *Suet.*
p. 208.

Vell. 2.
117. p.
107.

Symb.
Polit. 54.
p. 421.

lib. 58. p.
720.

Et

*Et nimias poscebat opes; numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsæ præcepit immaneruina.*

Sermone Poetæ casuram turrim in altum erexit, ut fieret ruina ex malâ altitudine vastior; & de nobilioribus mox aliisque, ante Sejanum è rerum culminibus dejectis v. 108.

*Quid Crassos, quid Pompejos evertit, & illum
Ad sua qui domitas deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus.*

De sermonibus vulgi, quibus misero insultabatur, idem Poeta v. 88.

Hi sermones

*Tunc de Sejano, secreta hæc murmura vulgi.
Visne salutari sicut Sejanus? Habere
Tantundem? atque illi sellas donare curules?
Illum exercitibus præponere? Tutor haberi
Principis angusta Caprearum in rupe sedentis
Cum grege Chaldo? Vis certæ pila cohorsis?*

Non in Aulâ esse peccatum est, sed in honore aulico cervicem contra Deum erigere, aliosque desplicere, & putare se in honore esse, unde cadere nequeas Principis suffultus tibicine. Quantus & qualis Sejanus in Aula! Cecidit in profundum. Quanti Plautiani, & alii! Cecidere in abyssum. Sejani & Plautiani quam gratiam sibi acquisiverant apud Imperatores, eam prudenti facundia sibi servare non possunt, sed seipsum quasi altissima abyssu submergunt, & in gurgitem vastum se præcipitant, sibi que accersunt pœnas. TOLLUNTUR & altiùs elevantur Sejani, consuetudine aulica, ut ruant celsiùs, auferantur & non sint. Extollit se Sejanus in sua sapientia, & ad honorem venit ampliorem, ut amplius non sit. Judicia hæc sunt justitiæ Dei, hancque Sejani fortunam *DEORUM Miræ* in rem Romanam tribuit Tacitus, ultra Politicorum vulgus sapiens. Deorum tunc vigilasse oculos, & *sacra Reipubl. presenti numine vallata* Valerius Maximus scribit. Ecce ipsi Romani sciunt & admonent, Deum in altissimo curare res humanas, discernere inter probum & improbum, iniquum punire; mercedem esse bonæ vitæ, Deo cognita esse merita singulorum. Dei hæc animadversio & punitio sit
ad

4. A. 1. 4.

ad cautelam posterorum; stultus quippe est Aulicus, qui hanc Se-
 jani historiam legens cadere videt cautissimum & florentissimum
 Aulicum, & non cavet. Via Aulæ lubrica est, & multi in ea olim &
 nunc corruerunt; ea propter qui sibi videtur stare in Aulæ culmine
 lubrico, timeat, dum potest cadere. Fragilitatem hanc considerans
 Seneca eleganter admodum scribit: *Stet, quicumque volet potens Aulæ
 culmine lubrico; me dulcis saturet quies.* Stas instar Cedri aut Platani
 in Aula; noli altum sapere, sed time, ne frangaris, altoque de cul-
 mine cadas. Radix aulæ Sejanus extirpatur, quid fiet de foliis? Si
 contingit aliqua sublimitas Aulæ, noli in ramis tuis cum Sejano ex-
 tolli, nam si elatus inde fueris, quis fructus erit? Si non cadis, tamen
 cadenti similis es, & cades, cum ventum est ad finem, sive sit seculi
 hujus, sive alterius. Abundes licet, & sequatur te prosperitas Au-
 læ, tu mari aulico noli credere, nec tranquillo etiam. Ambis hono-
 res cum Sejano aulicos, ô bone Vir, quanti everfi sunt cum Sejano
 per honores suos! Unde scis, utrum tibi sint profuturi honores?
 Multi tutius vixissent sub paupere tugurio, quam divites facti cum
 Sejano. Nonne Sejanus tutior, cum sub Augusto esset inferior,
 quam sub Tiberio superior? Dives & potens sub Tiberio factus
 præda fit suo Domino. Quam sæpe obest, quod putamus prodesse,
 & quod putamus obesse, quam prodest. Prosperitates aulicæ sunt
 magis cavendæ, ne corrumpant animum, quam prosperitates vul-
 gares. In illis nemo satis prudens; in his qui negligens est, satis pru-
 dens est. In illis cum caves maximè, non satis tamen cautus es, &
 cum cavisse putas maximè, sæpe deceptus es. Bonus civis aulicus,
 exaltatus in Aulâ, in putribili gloriâ se intelligit versari, & clarita-
 tem hominis secundum temporalem aulæ felicitatem æstimat sicut
 florem campi, qui æstate viget, hyeme marcet. Si es in aulâ Tibe-
 rii, aut ex illâ, ne animam perdas; aut si nequis, Tiberium stude
 corrigere. Si emendare nequis, si que periculum incurris, fortis
 esto, nec Sejanus sis cum maligno, nec malignus cum Tiberio.
 Non te terreat potentior, nam qui te vocavit in aulam, adhuc po-
 tentior est; fortior omni forti, superior omni excelso. Tollat tibi
 Tiberius vitam, dat tibi Deus aliam vitam. Qui dedit vitam, nec
 ipsa tolletur, si Ipse noluerit. Noli timere, quod perdas gratiam
 Tiberii; imò time, ne dum caves perdere gratiam Principis, per-
 das

Senec.
 Thyest.
 v. 390.

das gratiam veram, quæ est Dei. Quæ autem, quæso, gratia est Principis, quam tecum habent communem impudici, avari, crudeles, propudiosi? Quid profuit in gratiâ fuisse, & Deum amisisse? Spes tua non sit in Sejanis, ne cum Sejanis pereas. Via regia mane, noli declinare in dexteram aut sinistram, nec cades in muscipulam Sejanorum. Separate te corde & vita à Sejanis, nec imiteris eos, nec iis affuescas, nec annuas, nec approbes. Noli seduci felicitate malorum Aulicorum, neque enim illa felicitas, quæ videtur foris, vera est, nec in corde beati sunt Sejani, quia torquentur mala conscientia, licet habeant plenam domum, abundant gloriâ, exaltentur honoribus. Si aliqua lætitia est in rebus aulicis, in purpura & bysso, sic gaudendum, ut intus timeamus, nec donemus nos corrumpendos felicitati, nec nos demus voluptatibus frangendos. Fuge vanam lætitiâ, ne cum in tali Aula vis videri felix & lætus, neque hic habeas jocunditatem, nec illic invenias, ubi ratio reddenda Deo omnium. Si alii pro magno habent, esse cum Tiberio in potatione, in luxuriâ, in theatris, in carnificinis, in spectaculis, in variis nugis, dic tu, non est ista Aula, nisi sordida, nisi impia. Tranquillior & melior Aula quærenda. Non servias ulli cupiditati, non hujus vel illius Principis gratiæ concede indigna. Præferenda omnibus rebus conscientia, & plurius habendus Deus quàm Homo; plurius animæ salus, quàm tallax gratia Principis. Esto coram Principe tuo rectus corde, fidelis, nemini gravis, nisi iniquo; omnibus suavis, nisi adulanti; omnibus apertus, nisi delatori; omnibus jucundus, nisi Sycophantæ. Cum fiduciâ age coram Principe, quia sinceritatem colis, veritatem amas. Fac, quæ sunt fidelis Ministri, & habebis Deum propitium, cum quo age omnia, quæ agis. Quando humiliantur, qui Deum timent, si forte in aliquâ dignitate hujus seculi refulserant, humiliati non ceciderant, quia Deum de corde non excluderant. Altitudo ipsorum Deus est. Malè cadunt, qui spem suam in Aulâ ponunt. Aufertur, quod nitebat foris, nihil remanet intus, nisi fumus male conscientie, quo litidem cum Augustino dicimus. Si recedis ab adjutorio Altissimi, cades, nec S. Battus te à casu liberabit, quia seipsum tandem non valebit adjuvare. Multi fortes videntur Sanctuli in Aulâ, sed tempore tentationis nusquam sunt. Tota spes sit in Deo, Sejanosque superabis. Vilescat totum, quicquid præ-

August.
in Psal.
30. col.
184.

præter Deum & Principem Bonum in Aulâ est. Omnis spes in Deo sit, ut nec illecebrâ capiaris, nec fortunâ muteris. Ipse est.

10. Imperii ejus anno xv baptizatur CHRISTVS, & xviii patitur ignominiosam mortem crucis pro salute generis humani, quem Pilato suadente numero Deorum adscribendum judicat.

Quo anno dura fors in Sejanum cecidit, bono Imperatoris Romani, jacturâ rerum & fortunæ Sejani; eo ipso duriori sorte se se exposuit Judæa, vitio ingratitude extremæ exitioque proprio, Servitorem suum JESUM CHRISTUM ignominiosæ morti tradens Quos in turbines, quas in voragine, quæ in miseriarum præcipitia se conjecerit Judæa, in Historiâ Titi legetur. Paucis nunc agendum de Christi Morte & Passione, quæ sub Tiberii imperio accidit, Pilato, Judææ Præside, sauciata demum conscientia assentiente, Tiberio vix facti atrocitatem comprobante. Famosissimæ favitæ Principi Tiberio ignotus quidem fuerat Servator Christus facie, notus autem misericordissimâ in Judæos gratiâ, varioque miraculorum genere. Sub hoc Cæsare, Procuratore tum Pontio Pilato, Christus vitam, paupertate probro & dolore ante abundè probatam, posuit. Paucissimis verbis Tacitus xv Annal. *Auctor nominis Christiani Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus fuerat.* Potestas judicandi concessa Pilato erat, qui apud Judæos quæsierat absolvere Christum atque dimittere. Judæi verò urgent, addita comminatione: *Si hunc absolveris, non es amicus Cæsaris; quicumque se Regem facit, contradicit Cæsari.* Crimen seditionis & affectati regni intentant, minati, se hanc causam ad tribunal Tiberii delaturos, & accusaturos Pilatum, ut Tiberii inimicum. Dicente Pilato: *Non invenio causam ullam in hoc homine, quare occidendus sit, invalescebant voces dicentium: Crucifige, crucifige.* Is Pontius sextus in ordine Procurator Judææ missus fuerat, sed cum potestate Præsidis, ut

15. A. 44.

4.

Ioh. 19. 2.

ad Tac.

15. An.

84. p.

279.

19. Obs.
13.

Major.
Comm. in
Rom. p.
115.

7.5.p. 583.

1. Ann. p.
215.
Apol. 2.

Lipſius loquitur, vel ut Cujacius, *vice Praefidis*; ſed videtur tutius dici poſſe, eum *Praefidem Provinciae* fuiſſe. Innotuit Tiberio Chriſtus, eumque agnoſcit Caeſarem Chriſtus, pendens ipſe tributum, & aliis, ut idem facerent, praecipiens. Sub Tiberio Judæa erat tributaria, Chriſtusque *per ſolvens pro ſe & Petro δίδραχμα*, agnoſcit Tiberium Dei Miniſtrum, & eidem ſolvenda vectigalia, ne conſcientia ſauciatur; *juſtitia enim ſuum cuique tribuit*. Nascitur ſub Auguſto Chriſtus; ſub Tiberio patitur & reſurgit Chriſtus. Judam traditorem patitur Dominus, Judæum convitiatorem, Pilatum condemnatorem. Timet Judas, traditor Chriſti, ſed non ſperat in miſericordia Chriſti. Timet Pilatus, quod tradidit Chriſtum Judæis, ſolicitus non de miſericordia Chriſti, ſed gratia Tiberii. Quid illis miſerius, quibus Salvator ſaluti non erat? Conſcientia ſcleris actus Pilatus anno ſecundo Imperii Caligulae ſibi manus intulit, Caſſiodoro & Euſebio ſupputantibus. De hoc exitu factis ſuis digno Oroſius: *Pilatus Praefes, qui ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, poſtquam plurimas ſeditiones in Hieroſolymis exceperat, ac fecit, tantis irrogante Caſo angoribus coartatus eſt, ut ſua ſe transverberans manu malorum compendium mortis celeritate quaſierit*. Innocentia Chriſti Pilato ſtimulum reliquerat in conſcientia, à quo exigebantur annua Acta. Acta exigenti Imperatori mittuntur, anxio Pilato, ne praecipitaretur inſtar Sejani. Scriptam à Pilato *Epistolam ad Tiberium de Actis Iudaeorum cum Chriſto* plerorumque Chriſtianorum Scriptorum traditio eſt. Oroſius 7.4.p. 578. *Postquam paſſus eſt Dominus Chriſtus, atque à mortuis reſurrexit, & Diſcipulos ſuos ad praedicandum dimiſit, Pilatus, Praefes Palaſtinae provinciae, ad Tiberium Imp. atque ad Senatam retulit de Paſſione & Reſurrectione Chriſti, conſequentibusque virtutibus, quae vel per Ipſum palam factae fuerant, vel per Diſcipulos Ipſius in nomine ejus fiebant, & de eo, quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur*. Eadem verba habet Paulus Diaconus 8. Miſc. 23. *Epistola illa Pilati, apud Egeſippum extans, profertur à Baronio. Acta Pilati allegat Juſtinus Martyr, ſcribens: Ταῦτα ὅτι γέγονε, δύνασθε μαθεῖν ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίας Πιλάτῃ γενομένων ἁγίων. Hac ita geſta eſſe ex Actis, quae ſub Pontio Pilato ſunt conſcripta, cognoscere poſteſtis. Iterum: Ὅτι τὰ ταῦτα ἐποίησεν, ἐκ τῶν ἐπὶ Ποντίας Πιλάτῃ γενομένων ἁγίων μαθεῖν*

μαθεῖν δὲ ὅτι. Quod ista (miracula) fecerit Christus, ex Actis sub Pontio Pilato confectis potestis cognoscere. Legendus hinc Casaubonus Exerc. 16. in Baron. n. 154. p. 548, 549, inter alia scribens: E testimonio Iustini & Tertulliani certo constat, Christum Pilati operâ Tiberio innotuisse, adeò ut audiendi meo iudicio non sint, qui huic historia fidem abrogant. Romanum hunc principem, acceptâ Epistolâ Pilati de Resurrectione & Miraculis Christi, retulisse ad Senatum de Christo inter Deos recipiendo increbuit ad scriptores Christianos nescio famane an scriptis. Certè antiquissimus ille nostratium Latinorum Tertullianus sic reliquit in Apologetico adversus Gentes. *Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probaretur.* Scit *M. Emilius de Deo suo Alburno.* Facit & hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius esse debet. Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in seculum introivit, annunciatum sibi ex Syria Palestinâ, quæ illic veritatem ipsius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prerogativâ suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cesar in sententiâ mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Idem docet Orosius: Tiberius cum suffragio magni favoris detulit ad Senatum, ut Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundum morem delatus esset, ut de suscipiendo ipsius cultu prius decerneret, consecrationem Christi recusavit, edicto que constituit exterminandos esse urbe Christianos; precipuè cum & Sejanus, Præfectus Tiberii, suscipiende religioni obstinatissimè contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem minatus est. Inde repetunt Paulus Diaconus 8. Hist. misc. 23. Marianus Scotus in Chronicis. Consilium ajunt datum à Tiberio Senatu Romano, ut Christus adderetur Deorum numero; Senatu verò Populo ve non consentiente Numen novum colendum non admissum à Romanis aut dedicatum. Contradicentem habuit Senatum Tiberius, nec Christum dedicandum decernebat. *Vtique impiissimum, scribit Tertullianus, imò contumeliosissimum admissum est, in arbitrio & libidine sententiæ humane locare honorem Divinitatis, ut Deus non sit, nisi cui esse permiserit.* Inde Tiberium exacerbatum crudelitatem in Senatum exercuisse

c. 5. p.
668.7. 4. p.
578.1. adv.
Nationes
10.

scribit Orosius: *Immutata est illa Tiberii Caesaris laudatissima modestia, in penam contradictoris Senatus. Postea: Tanta libidinis & crudelitatis rabie efferbuit, ut qui spreverant Christo Rege salvari, Rege Cæsare punirentur.* Pari modo Tiberii sævitiam in Senatum à Deo immissam, quia Christum inter Deos pati noluerit, scribit Otho Frisingensis. Mirari verò convenit in Tiberio, mitem fuisse in Christianos, & in Christum fuisse benevolum, si vera sunt, quæ scribit Tertullianus. Libertas vivendi & securitas Christianis sub Tiberio, quem *minatum fuisse Christianorum accusatoribus periculum* scribit Tertullianus. Mitior hâc parte Trajano, qui inquirendos quidem non esse dicebat, oblatos verò puniri oportere pronuntiavit, eodem Tertulliano scribente. Videndus Blondellus de triplici statu Christianorum sub Imperatoribus Ethnicis, sect. 3. de Eccles. p. 236, 237, 242, 245, 251, 252, 254; Brochmandus Antap. pag. 1246. Excogitat verò rationem, cur Tiberius divinos honores Christo voluerit, Eckius: *Faciem suam, scribit, Dominus linteo impressam dedit Veronice, cujus imagine sanatus Tiberius Cæsar, qui ob id decrevit Christo honores divinos; verum quod inscio Senatu id fecerat, Senatus prohibuit, ut author est Suetonius.* Non autor, Eckius, Suetonius, apud quem nihil horum. Audiamus etiam, quid excogitet rudi & incomto versu Gothofridus Viterbiensis Chron. part. 15. col. 360.

*Pilatus Christi Romanis dogmata scripsit,
 Prædicat esse Deum, quem perfida plebs crucifixit,
 Et monet, ut vivant amodo lege pia.
 Lege nova Christi monet hos norma que teneri,
 Cujus & imperio totus valet orbis haberi.
 Tiberio placuit, quod petis, inquit, erit.
 Tunc indignatus respondit ad ista Senatus,
 Lex ant archatus, nisi per me canonicatus,
 Me quoque dante datus, non erit orbe ratus.
 Sint licet ista bona, non incipit hic mea Roma,
 Dedecus aeternum portaret nostra corona,
 Si qua per imperium Lex aliena sonat.*

Hypo- Ut lectio historiæ de Passione Christi sit magis perspicua, tempora
monem. in annotanda censuit Victorinus Strigelius, scribens certum esse
 Chri-

Christum crucifixum esse 8. Calen. Aprilis, hoc est, 25 die Martii, ut *N.T.p.*
nunc sit usitata mensium ratio, anno Tiberii 18, cum jam Christus *182.*
ingressus esset annum 34; dierum præcedentium verò rationem,
quamvis non certo constitui posse ajat, tamen hanc ille distribu-
tionem aliquid lucis afferre historiæ putat, ut die XIV Martii videat-
ur ingressus iter ex deserto, ubi Joannes baptizaverat, unde à Jor-
dane ad Jericho spatium est duorum miliarium Germanicorum, in
quo itinere cæcū sanaverit; die XV manserit apud Zachæum; die XVI
iter fecerit ad Bethaniam; die XVII Martii Lazarus excitatus sit
ante diem Palmarum; XVIII fortassis manserit in Bethania; XIX Cœ-
na cum Lazaro in Bethania in Sabbato; XX dies Palmarum; XXI
maledixerit ficui, & in templo acerrimas conciones habuerit, quæ
in Matthæo extant. XXII Cœna in Bethania in domo Simonis le-
prosi; XXIII Pactio Judæ; XXIV dies Azymorum, Esus agni, & insti-
tutio Cœnæ Dominicæ; fueritq; verus Paschatis Mosaici dies à ve-
spere ejus diei ad postridianum juxta rationem Mosaicam; XXV
Crucifixio; XXVI fuerit in sepulchro. XXVII resurrexit. Veteres
scriptores mortem Christi contigisse ajunt sub Consulibus Ru-
bellio Gemino & Fusio Gemino. Augustinus 18. de C. D. 54 p.
1134. *Mortuus est Christus duobus Geminis Consulibus, octavo Kal.*
Aprilis. Lactantius 4 de verâ sap. 10. p. 208. *Anno quintodecimo*
Tiberii Cesaris, duobus Geminis Consulibus, ante diem septimam
Calendarum Aprilium Judæi Christum cruci affixerunt. Sulpitius
Severus 2. Hist. s. p. 133. *Dominus crucifixus est, Fusio Gemino &*
Rebellio Gemino, consulibus. Consules autem hos fuisse anno XV.
Tiberii notat ad Augustinum Ludovicus Vives. Baptisatum verò
fuisse Christum illo anno ex Evangelista Luca docemur, erit er- *c. 3. v. 1.*
go, si hoc admittimus, Christi mors anno XVIII, nam tribus annis
Dominum nostrum ad populos de regno Dei differuisse scribunt.
Christus tempore Baptismi, quo prædicare cæpit, explevit sine du-
bio annum tricesimum ætatis, baptizabatur autem anno XV Tiberii,
quod colligi potest ex capitis tertii Lucæ versu primo & vicesimo-
tertio. Quo anno, mense & die Christus, Servator noster, passus
fuerit, peculiari Disquisitione, Francofurti 1593 editâ, indagavit
Jacobus Christmannus, Acad. Heidelbergensis Professor, certò
sibi persuasus Passionem Dominicam incidisse in ineuntem annum

xxxiv Christi, anno quarto Olympiadis ccii, anno xviii Tiberius, idque primo Vere, die tertio Aprilis, anno Juliano Lxxviii. anno æræ Judaicæ 3793; die decimâ quintâ mensis Nisan, ipso plenilunio. Opinionem hanc vulgarem rejicit Scaliger, quæ est de Christi passione anno Tiberii xviii, ipseque statuit incurrisse passionem Dominicam in annum 19 Imperii Tiberiani, de quo agit 6. Emend. Temp. cap. de 5. Paschat p. 561; computo enim ejus Christus passus est d. 3. Apr. A. Ær. Chr. xxxiii, anno ætatis xxxv, imperii Tiberii Ann. xix; A. V. C. 786. Servio Sulpitio Galba & L. Cornelio Sylla Coss. Eam sententiam sequuntur Calvisius Chronol. p. 476, 477, Wichmannus I. Chronol. sacr. 2. II. p. 234. De anno ortus ac mortis Domini edidit librum Grætii 1605 Joh. Deckerius, in quo affirmatur Christus baptizatus anno ætatis 32. inchoato, cruci verò affixus, cum annum jam ageret suæ ætatis 35. Affirmari id contra textum, notat Scioppius. Cum Deckerio sentit Ægid. Bucherius 4. Belg. Rom. Eccles. p. 139. Incerti sic sunt in calculo ineundo more suo Chronologi, nec hâc re nunc occupabimur, maximè cum Scaliger velit, recentiorum de hâc re diversas sententias adferre, esse *malè horas collocare*. Si itaque minus inter litigantes conveniri potest, à nobis adhibeatur cura, ne quid interim incommodi fiat, unde judicandi conditio fiat difficilior.

*Ast. in-
ext. p. 153.
p. 564.*

II. Pollutâ mente & conscientia fædam animam exhalavit, annum ætatis agens Lxxviii, regni xxiii, ingenti cum gaudio Senatûs Populique Romani.

*Suet. 68.
p. 215.
6. Ann.
46. 6.*

EXcellens *valetudo corporis* in Tiberio fuit, ut in illo omnia fuissent, si *valetudo animi* non defuisset, in quo erat neque sanum aliquid, neque utile, neque honestum. Valetudo itaque ei, non animi, sed corporis constitit, minimeque Medicorum pharmacis fomentisque indiguit, *qui usus valetudine prosperrimâ tempore quidem Principatus penè toto, propè illaesa, quamvis à tricesimo ætatis anno arbitrata eam suo rexerit, sine adjumento consiliove Medicorum.* Inde ludere solitum *Medicorum artes* refert Tacitus, *atque*

atque Eos, qui post tricesimum annum ad internoscenda corpori suo
 utilia vel noxia alieni consilii indigerent. Quod tam vulgatum fuit
 dicitur in Medicos, ut Plutarchus bis retulerit, in annis tamen
 labens, docente contra Lipsium Gatackero. Tiberius itaque cor-
 pore integro, sed corde scelesto animoque impuro, Principem
 agebat pessimum, quod haecenus multis innotuit exemplis. Quan-
 to major valetudo corporis, tanto peior erat animi, ubi in valetu-
 dine phreneticus fuit, inque phrenesi robustus. In senio ei evenit
*prægracilis & incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa fa-
 cies*, ob quem corporis habitum in urbe continuè esse pudori sibi
 ducebat, quod Tacitus scribit, & hinc in Campaniam secessit. Sta-
 turam & membra, valetudinem & incessum, describit Suetonius
 capite LXVIII; *Corpore fuit, inquit, amplo atque robusto; staturâ, quæ
 justam excederet. Articulis ita firmis, ut recens & integrum malum
 digito terebraret; caput pueri, vel etiam adolescentis, talitro vulnera-
 ret.* Valetudinem infirmam, & mortem, quæque eam antecesserunt,
 quæque consecuta sunt, signa videlicet mortem præcedentia, com-
 memorat Suetonius capite LXXIV, lætitiâ Romanorum in morte
 ejus capite LXXV, testamentum & ultimam dispositionem cap. LXXVI
 eodemque ultimo. De exitu non nihil dissentiunt. *Ambiguus si-
 gnis veneni obiit*, ait Orosius. Quidam opinabantur, teste Suetonio,
 Cajum Caligulam veneno Tiberium fuisse aggressum, idque
 dolo Macronis, spiranti adhuc Tiberio detraxisse anulum, atque
 pulvino injecto fauces manu oppressisse. Utinam verò se mutasset
 ante mortem, & averfatus fuisset facinora? Invenitur sub finem im-
 pius & crudelis, qualis fuerat ante finem. Audivimus supra, quod
 nec in morte ipsum reliquerit Simulatio. Jam cum instat moriendi
 tempus, formidat iudicium Dei, & dum consultat de successore,
 nescit præ animi confusione, quid concludat; nam *incertus animi,
 fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit*, Tacito scriben-
 te. Memoratur tamen Imperium testamento reliquisse nepoti suo
 Tiberio, quod irritum factum fuisse sententiâ Senatus initio libri
 59 memorat Dio, id Cajo Caligula per Macronem agente, judica-
 tumque testamentum non sani hominis esse, *ἀλλὰ παραφρονήσαντος*,
*ὅτι παιδίω, ὃ μὴ δὲ ἐσελθεῖν ἐς τὸ βασιλευτήριον ἐξῆν, ἀρχὴν σφᾶς ἐπέτερε-
 ψι, sed insipientis, qui imperium pueri legasset, cui nondum esset in*
Curiam

in Marc.
 Anton.
 Vit. lib. I.
 p. 37.

4. 57. 3.

p. 814.

7. Hist. 4.
 p. 581.
 in Calig.
 c. 12. p.
 230.

6. Ann.
 46. 4.

p. 734.

Curiam per aetatem aditus. Juvenculum illum, imperio exutum, statim Caligula occidit, nece sibi faciens viam ad imperium, dignus Tiberii, non regni, successor; quo pessimo successore maximè post mortem nocuit regno, cum enim sciret Caligulae pessimum ingenium, ei pepercit, Sacerdotio & aliis honoribus ornavit, imperiumque ei non illibenter fertur tradidisse, ut & sua facinora gravioribus Caji flagitiis occultarentur, & quod in Senatu nobilitatis reliquum, (τὸ εὐγενές αὐτὸν τῆς λοιπῆς βελῆς) post mortem suam trucidaretur, de quo Dio lib. 58. p. 717, 729. Vitam verò finivit pessimè pessimus anno octavo & septuagesimo aetatis, tertio & vigesimo Imperii, ab V. C. DCCXC, Proculo & Nigrino Cosl. Exequiæ à Cajo nullo ornatu factæ, noctu ejus corpore in urbem allato, & manè proposito, Dione teste. Lætatus populus ejus morte unicum & Gemonias cadaveri minitabatur; Gemoniæ autem scalæ non ignotæ, à *Gemonio* dictæ, ad quas trahebatur unco, qui læsisset Majestatem. Sic vixit malus Princeps, ut meritò omnes eo mortuo exultarent, nemo plangeret. Omnes debuissent plangere tam malè viventem Principem, quem neque justus neque honestus cura tetigit. Mirificè autem adulatus Tiberio Valerius nobilissimus seculum non extitisse scribit, crepans *tranquillitatem seculi*, quâ nulla unquam beatior fuerit, sub *salutari Principe*, cui longævam vitam & longissimos humane conditionis terminos precatur; imò *divinitatem* assignat in *Dictorum Factorumque memorabilium Prologo*. Valitudinem integram habuit, longævam vitam, quam precatur Valerius, accepit, sed conscientiam pessimam longævus fuit. Ad senium venire Tyrannum, & morte non mori acerbam insolens est. Eò venit aetatis inter perpetua crudelitatis exempla Tiberius, ut mireris, citius non periisse acerrimum Tyrannum & defuisse ultorem. Quo grandior illius crudelitas, eò immotior persistit, mirante etiam Egesippo, & scribente: *Tiberii tempora, fœda ludibriis, Caprearumque secessus, ignavia intolerabilis, nullum tamen efficacis Virum operis in necem ejus excitaverunt, recentis, ut arbitror, imperii reverentiâ, sive terrore sævissimæ crudelitatis, quia plerumque asperitas quò gravior, eò tutior est.* Major hæc ira Dei fuit, dum tam diu per fraudes & scelera viventem permittit. Odit Dominus omnes, qui operantur iniquitatem; & abominatur Virum sanguinum & dolosum; neque
semper

lib. 59. p.

737.

Suet. c.

75. p. 220.

8. Exem-

pl. 13. l. 1.

p. 353.

II. Excid.

Hier. 3.

semper punit in vitâ, sed parcit viventi, ut crudelius exerceat iudicium post mortem. Sine misericordia iudicabitur, qui misericordiam non fecit, antequam iudicaretur. Veniet ultimum iudicium, ubi Deus requiret sanguinem à manu Tyranni, & pœna Tyranno dabitur fiet manifesta. Præludium pœnæ in *Conscientia sua* habuit Tyrannus; nam qui gloriæ cupiditate tantum bellorum & criminum exhauserat, extremis annis agitur scelerum conscientia; morsumque conscientia non abfuisse Epistolæ à Caprearum Insulâ ad Senatum missæ testantur. Astutus, crudelis & immisericors Tyrannus calliditate veteris artificii ac multiformis ingenii quantum in aliorum subversione laboravit, tantum sibi cruciatus attulit in conscientia, delictis sauciata & ulcerata, quæ illum afflixit reum tot scelerum in pœnam; inde ille convictus ad Senatores scripsit stylo confuso. Quietam conscientiam uti nulli possident Tyranni, sic omnium minimè Tiberius. Quiritantem audimus apud Tacitum: *6. Annal. 6. l. & 3.*
Quid scribam vobis, P. C., aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore. Dii me Deaque pejus perdant, quam perire quotidie sentio, si scio. Tacitum jam audiamus accusantem: *Adiō faciora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientia firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita sevitia, libidine, malis consultiis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fatiretur.* Agitabatur aculeis mens ejus, quam hætenus occultam esse voluit, ut erumperet tandem in ea verba ad Senatum. Sentit, Numine urgente, in se pœnam animæ, cruces, tormenta, gehennas. Animus malè sibi ipsi conscius sui ipsius tortor est, sui que ipsius *magna damnatio est*, dicente Augustino. *in Psal. 9. col. 66.* Securus non erat, cui intus hostis erat conscientia delictorum. Ibi requies non erat ob abundantiam iniquitatis. Conscientia tumultum fecerat, & ecce hostem suum invenit in se, unde pellitur. Quem metuebant alii pellere, à seipso pellitur. Quò confugiturus erat? Ad Sejanum? Ille vulnus fecerat. Ad Deum? Non aderat. Ad Senatum? Læserat. Ad plebem? Tyrannidem senserat. Quocunque fugerat, hostem invenerat. Iverat ab urbe in Insulam, ab agro ad villas, à publico ad palatium, à domo in cubiculum, & seque-

sequebatur hostis conscientia. Quocumque fugit, hostem trahit post se, & quocumque talem traxerat, cruciârat se. Hostis quantò interior, tantò acerbior. Nihil hoc hoste gravius cogitari potest, qui in medio sævit. Tonuit de nubibus Deus & vocem dedit Altissimus, & trepidavit conscientia Tyranni. Tonitrua Tiberius præter modum expavescebat, & turbatiore cœlo nunquam non capite coronam lauream gestavit. Ita Cajus Caligula ad minima tonitrua & fulgura cõnivere, caput obvolvere, ad verò majora proripere se è strato, sub lectumque condere solebat. De his duobus Imperatoribus ad tonitrua trepidantibus dices, quod habet Juvenalis:

Suet. c.

69. p. 215.

Suet. Calig.
c. 51.

p. 265.

Sat. 13. v.

219.

*Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, ex animis primo quoque murmure cœli,
Non quasi fortuitu, nec ventorum rabie, sed
Iratu cadat in terras, & iudicet ignis.*

Tanto major conscientia flagellatio per furias, quanto major exaggeratio criminum in Tiberiis & Neronibus. Non in throno bene cæpisse, sed perseverando bene egisse, laudandum est. Aspici-
te Tiberium, Neronem intuemini. Nunquid illis profuit dissimulationis secretum, quando malitia in illorum corde se celabat? Tyrannicus dominatus non statim regnabat, quamdiu se primis annis tegebat. Hominum tunc oculos fallebant, conscientiam timoremque in se internum nequaquam excutiebant. Vicia intra sese conclusa tenebant, donec aliquando hostilius erumperent. Quot vicia celabant, tot hostes nutriebant. Vitiis suis afflixerunt Romanam Rempublicam, seseque tandem, non Rempublicam, perdiderunt. Fata tandem inveniunt ultrici pœna Tyrannos, quamvis lateant muniti, & prodeant stipati. De Tiberio id, quod Plinius de malo Principe dixit, commodè ingerimus: *Ille quibus sibi parietibus & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum & insidias, & ultorem scelerum Deum inclusit, dimovit per fregitque custodias pœna, angustosque per aditus & obstructos non secus ac per apertas fores & invitantia lumina irrupit, longeque tunc illi divinitas sua, longè arcana illa cubilia se vique secessus, in quos timore & superbia & odio hominum agebatur. Tenebricosus Princeps, quia pessimè vixit, ivit de tenebris ad tenebras, de profunditate in profunditatem, de turbis in turbas, de ardore cupiditatis in flammam gehennarum.*

Paneg.
ad Trajan.
p. 40.

Hic Finis est Tiberianarum rerum.

~~117~~
117 1567

ULB Halle

3


002 100 991



117

m: 117





H. Q. 2.



Handwritten scribbles in the top right corner of the manuscript page.

(cat. 134^b)

